VIRO

ILLUSTRI ATQUE DOCTISSIMO

VENCESLAO

PELIKANO

COLLEGIORUM A CONSILIIS, CLINICES CHIRURGICAE, CHIRURGIAE THEORETICAE ET ANATOMIAE IN CAESAREA UNIVERSITATE VILNENSI PROFESSORI P. O., ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE PETROPOLITANAE ET SOCIETATIS CAESAREAE MEDICAE VILNENSIS SODALI, SEMINARII MEDICI IMPERATORIS MUNIFICENTIA CONDITI PRAEFECTO, RECTORI MAGNIFICO, ORD. St. ANNAE IIae CLASSIS GEMMIS DECORATI EQUITI.

HASCE

QUALESCUNQUE PRIMITIAS

INAUGURALES

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum probe viderem, et ab aliis per orbem litterarium Academiis et ab hac alma litterarum Universitate jam dudum receptum esse, ut, quibus jura et privilegia academica, ac imprimis summi in Medicina et Chirurgia honores tribuendi sint, ii studiorum ingeniique sui specimina publica faciant: eadem ratione nuper in eo occupatus, ut ex tanta rerum medicarum copia, quae indagandae forent, unam quae Medicinam et Chirurgiam simul spectaret, disputationis meae materiam eligerem, protinus in animum induxi molestum utique morbum, *ani fistula* nuncupatum, subtilius excutiendum mihi sumere. Quum autem plures iam celeberrimosque auctores, diverso ferme respectu, eandem operam navasse constet; ne itaque cunctis, quae ab aliis scripta leguntur, excitandis iustum speciminis inauguralis modum excedere videar, nonnisi potiora quaeque momenta, tam ad medicam quam ad chirurgicam mali huius tractandi indagandique viam ac rationem spectantia, strictim exponenda curabo.

Itaque, postquam ipsius morbi natura et indoles definita perspectaque fuerit, illius subinde vis atque symptomata enarrabuntur. Quibus licet ille sibi propriis paene careat, aliorumque morborum ipse progenies effectusque evadat; omnino tamen res ipsa postulare videtur, ut, investigatis primum causis huiusmodi inflammationi producendae vel maxime idoneis, in signa demum variaque phaenomena, quibus ea fa-

cilius dignosci queat, diligentius inquiramus.

Quodsi phlogosi in abscessum transeunte, pus quoque inde ortum varias sibi ad progrediendum vias muniat; diversas etiam fistulae formas, quae tot eius divisionibus ad symptomata omnino referendis locum dederunt, exsistere facile patet. Primo igitur persequenda sunt: ipsius mali initium, eius signa, tum ab auctoribus subductae illius divisiones. Deinde causae illius diligentius perpendantur oportet, aeque ac notae, seu, ut ita dicam, momenta diagnostica, quorum ope fistula ani ab aliis morbis, quibuscum nonnunquam confundi solet, facili negotio discerni possit: quo loco adjiciantur quoque omnia, quae in symptomatum enarratione fusius recensenda forent. Quod ad prognosin spectat, investigandi erunt diversi fistulae ipsius exitus, ejus sanandae bona malave signa optimaeque methodi, quae ad curam legitime persequendam adhibendae sint.

In therapeutica demum huius scriptionis parte, facto remediorum, quae in huiusmodi casibus vulgo usurpantur, recensu enarrataque eorum vi ac indole, declarabitur primo, chirurgicam operam ceteris omnibus medendi rationibus longe praeferendam esse, deinde ipsa operatio, sive ligaturae, sive sectionis sive excisionis denique ope, perficienda accuratius describetur.

Quo ipso, arbitror, apparebit quam iniqui putandi sint, qui fistulae ani operationem, tanquam magnae operationis nomine indignam, omnino parvi faciant, propterea quod non, ut aliae plures operationes chirurgicae, quarum praestantia et gravitas in organorum etiam quibus adhibentur, nobilitate positae sunt, magnum instrumentorum apparatum requirit, vel quod jam eo absolvitur, a quo aliae vix incipiunt. Nos autem ei in chirurgia unum e praecipuis lo-

cum 1) assignare haud dubitamus, nam et ipsum organon istud in oeconomiae animali magni aestimandum est, et omnia istius operis pericula, instrumenti ope subeunda, nonnisi apicum digitorum sensibilitate quadam dirigi videntur; ipsius denique mali exstingvendi ratio tantum abest, ut floccipendenda sit, ut potius ad maioris momenti operationes referatur.

DEFINITIO.

Antiquissimam fistulae ani notionem tradidit *Hippocrates* 2) atque plures, qui hunc exceperunt, eam amplexi sunt, opinantes nimirum, illam haud aliud quid esse nisi ulcus, cujus orificium angustum, callositate quadam circumductum, ad amplam vel profundam cavitatem ducit, saniemque tenuem, maleolentem sensim sensimque emittit. Iidem cavitatem illam, sublatis partibus quibusqne mollibus, postmodum ampliorem, et callositatem a mutatione morbosa oriundam, omnium fistularum characterem notamque esse putabant. A *Dionysio* 3), *Pottio* 4), et qui eorum vestigia ingressus est, *Coopero* 5) fistula aui definitur: „Sinus angustus, callosus, profun„dus, acri sanie diffluens." *B. Bellius* 6) autem hoc nomine appellat ulcus sinuosum juxta anum, atque addit, characteres hos ad denotandum malum sufficere. *Lassus* 7) itidem censet, ulcus

---

1) *Richerand* Nosographie chirurgicale T. II. pag. 430.
2) Lib. de fistulis.
3) Operat. demonstrat. 4.
4) Saemmtliche Chirurgische Werke. T. II. pag. 223.
5) Handbuch der chirurgie T. I. pag. 121.
6) Lehrbegriff der Wundarzneykunst aus dem Englischen T. II. pag. 255.
7) Pathologiae chirurgicae. T. II. pag. 423.

esse sine vel cum callositatibus, cujus decursus modo rectus, modo obliquus, plus minusve productus usque ad intestinum rectum subit, cuiusque orificium augustum est. Sed *Boyer* 8) fistulam designat in genere ulcus augustum, plus minusve profundum, canaliforme, a quacunque causa topica sustentatum 9); de callositate tamen illa ulcus ipsum circumdante, et partium mollium laesione, quasi utraque haec ad genuinos morbi characteres haud referenda sint, ne verbum quidem profert *Sabatier* 10) fistalae ani causam in locali quodam vitio positam esse indicans *Boyeri* certe opinionem sequitur, a qua in hoc saltem recedit, quod fistulam a materia stercorali paullatim instillante oriri posse contendit; licet alia ratione, non omne illius initium huic praesertim causae tribuere videatur, ductus profecto auctoritate *Fouberti*, qui prorsus negat fistulam ani imperfectam externam exsistere 11). Quo efficitur, ut ista, quam adduxi, morbi definitio, omnibus in genere fistulis inserviens, ad peculiare quodvis earum genus applicari possit. Itaque fistula ani est ulcus sinuosum, in viciniis intestini recti, ad intestinum, vel ad perinaeum, secundum variam morbi formam apertum, vel per se ipsum, vel adhibita chirurgi strenua manu, tollendum. Jam vero quod ad callositatem attinet quae olim tanti habebatur, ut ad eam chirurgi vel maxime animum attenderent, quum ea in fistulis magno temporis intervallo durantibus nonnisi sequela mor-

---

8) Traité des maladies chirurgicales T. II. Chap. III.
9) Des fistules entretenues par le defaut de tissu cellulaire, et la mobilité des parties T. II. art. II.
10) De la médecine opératoire T. I. pag. 512.
11) Ibid. l. c.

bi sit, et haud omnem fistulam comitetur; quum identidem nullam fere in instituenda morbi cura differentiam efficiat; peculiare eius observandae studium non sane requiritur. Nihilominus multum confert illa ad morbum hunc, de quo agitur, recte stabiliendum. Nam si vulnus etiam a corpore alieno illatum, aut abscessus sinuositatem quandam prae se ferre videantur; nisi in ulcus tamen callosum abeant, remediis externis sine ulla operatione placari amoverique possunt.

LITTERATURA.

Ab antiquissimis iam inde temporibus, morbum hunc plures medicos eosdemque in arte salutari celebres, ut *Hippocratem* aliosque inter *Graecos*, tum etiam *Romanos*, atque *Arabes* magnopere occupasse, vel eorum scripta testantur. Qui quamvis in illius natura et indole indaganda, diversas plerumque opiniones et coniecturas facerent, ipsi tamen malo deprimendo auxilium chirurgicum vel maxime commendasse videntur, adeo ut remedia pharmaceutica tum demum porrigi juberent, quum de fistulae praesentia non satis ipsi persuasi fuissent, aut de ea sananda dubitassent. Quorum autem auctorum ad hanc rem imprimis copiam habui, ii sunt: *Hippocrates* 12), *Celsus* 13), *Aeginetta* 14), *Albucasis* 15), *Aëtius* 16), *Fabricius Hildanus* 17), *Fabricius ab Aquapendente* 18), *Nico-*

---

12) Lib. de fistulis.
13) Lib. VII. Cap. IV. §. IV.
14) Lib. VI. Cap. 78.
15) Pars II. Cap. 80.
16) Tom II. sermo XIV.
17) *F. Hild.* Op. Omn.
18) Opp. p. 146 et de oper. chirurg. p. 101.

laus Tulpius 19), *Heisterus* 20), *Dionys* 21), *Le Monnier* 22), *Pott* 23), *Bass* 24), *Le Blanc* 25), *Coste* 26), *Foubert* 27), *Camper* 28), *Pouteau* 29), *Tinchaut* 30). *Baſſos* 31), *Blume* 32), *Petit* 33), *Richter* 34), *B. Bell* 35), *Sabatier* 36), *Desault* 37), *Lassus* 38), *Valtolini* 39), *Hashke* 40), *Wise-*

---

19) Observationum medicarum libri tres.
20) Institutiones chirurgicae T. II. pars. II. Sect. V. Cap. CLXVIII.
21) Cours d' operations de Chirurgie revu et augmenté par M. *George de La Faye*. paris 1765.
22) Traité de la fistule de l'anus ou du fondement. Paris 1689.
23) Saemmtliche chirurgische Werke nach einer neuen vermehrten Ausgabe aus dem Englischen übersetzt T. II.
24) Diss. de fistula ani feliciter curanda. Halae 1718.
25) Precis d' operations de chir. chap. XI.
26) Essai sur la fistule de l'anus. Berlin 1751.
27) Mem. de l'acad. de Chir. Paris 1757 T. III. pag. 473
28) Abhandlung über die Fisteln und Vorfälle des Afters. Leipzig 1781.
29) Oeuvres postumes T. III. Paris 1783.
30) Dissertatio de periculo operationis fistulae ani a causa interna provenientis. Argentor. 1790.
31) Essay sur la fistule de l'anus. v. Journal géneral de med. T. XVI. pag. 407.
32) De ani fistulae curatione. Goetting 1790.
33) De la fistule à l'anus. Paris 1790.
34) Anfangsgründe der Wundarzneykunst T. VI. Cap. 21.
35) Lehrbegriff der Wundarzneykunst T. II. und VI.
36) De la médecine operatoire nouvelle edition. Paris 1822. T. II. pag. 521.
37) Oeuvres chirurgicales T. II. art. I.
38) Pathologie chirurgicale T. II.
39) Della fistula del' ano. Borgun. 1796.
40) Diss. de fistula ani. Erlang. 1797.

mann 41), *Desvalles* 42), *Brisset* 43), *Vetzmann* 44). *Audibran* 45). *Jourdan* 46). *Kothe* 47), *Schreger* 48). *Sprengel* 49), *Zang* 50), *Cooper* 51), *Copeland* 52). *Ribes* 53), *C. Bell* 54), *Boyer* 55), *Richerand* 56), aliique multi, quorum opiniones infra suo loco adducentur.

SYMPTOMATA.

Quum ani fistula persaepe mechanica quavis fiat laesione, ac non nisi telae cellulosae molliumve ad intestinum rectum partium dissolutionem seu destructionem prae se ferat; inde

---

41) Several chirurgical Trialise L. III.
42) De variis ani fistulas curandi modis Parisiis 1804.
43) Propositions de chirurgie et médecine. Paris 1808.
44) De fistula ani. Jenae 1812.
45) Diss. sur les fistules de l'anus. Paris 1814.
46) Dict. des sciences medicales T. XV. pag. 558.
47) Darstellung und Wirdigung der Curmeth. d. Afterfistel in *Rust's* Magazin I. 2. 1816.
48) Chirurgische Versuche Nürnberg 1818 Vol. II.
49) Geschichte der wichtigsten chirurgischen Operationen pag. 259.
50) Darstellung blutiger heilkünstlicher Operationen. Wien 1819 Vol. 3 p. 362.
51) Neustes Handbuch der Chirurgie in alphabetischer Ordnung nach der dritten englischen Original Ausgabe übersetzt Dr. L. F. v. Froriep. T. I.
52) Obs. on the diseases of the rectum Lond. 1819.
53) Recherches sur la situation de l'orifice interne de la fistule de l'anus, les parties dans l'epaisseur des quelles ces ulceres ont leur siège. Cfr. Révue medicale 1820 1. Livr. pag. 174.
54) Uber die Krankh. der Harnw. des Mustdarms 2 B. Weimar 1821.
55) Traité des maladies chirurgicales et des operations qui leur conviennent T. II. Cap. III.
56) Nosographie chirurgicale T. II. art. I.

fit, ut nulla fere peculiaria sibi illa vindicet symptomata. Quodsi non primitivus ipsa per se morbus sit, verum etiam ab aliis perpetuo derivetur, opus est, causae proximae illam efficientis, imprimis inflammationis praegressae phoenomena diligentius exponantur. Itaque *Heisterum* 57), *Pottium* 58), *Cooperum* 59), *Howshipium* 60), auctores sequutus, primo referam symptomata, progressum et inflammationum, quae in morbo hoc saepissime occurrunt, exitum; deinde ipsius fistulae aui accuratiorem expositionem subiungam.

Phlogosin quidem circa orificium ani, pariter ac in aliis corporis partibus tela cellulosa abundantibus, cum omnibus illis propriis symptomatibus evolvi constat 61): quapropter dolor, tumor vel turgescentia, rubor, calor auctus et alvi depositio dolorifica, praecipua sunt signa, quae aut in perinaeo, aut ad ossis ischii vel etiam coccygis tuberositatem, inflammationem latentem produnt, quae nonnunquam per cutem latius extenditur, eundemque fere ac erysipelatosa sensum creare solet. Non raro quoque accidit, ut incommoda, quae cum huiusmodi inflammatione consociantur, usque ad vias urinarias progrediantur: tunc temporis praeter molestias quasque locales, etiam stranguria, dysuria, urinae quoque retentio subsequuntur, atque si inflammatio versus intestinum rectum procedat, tenesmus, aegritudines haemorrhoidales, diarrhoea vel contra alvi obstructio fieri solent; foeminas autem

57) Ibid. l. c. pag. 1857.
58) Ibid. l. c. pag. 223.
59) Ibid. l. c. pag. 222.
60) Essay on the diseases of lowers intestines Lond. 1820.
61) *Pott.* pag. 227.

vaginae uteri quoque dolores saepissime excruciant. Quae quidem incommoda, plus minusve manifesta, ut per consensum quodammodo excitantur, nonnunquam breviter durant, facileque placari possunt; saepenumero tamen obstinantur, et a primo inflammationis tempore usque ad gangraenae vel ipsius puris efformationem, aegre tolluntur. Verum, suppurationem circa orificium ani citius quam in caeteris corporis partibus inflammatis fieri, abscessumque formari iam *Aëtio* (62) notum fuit, qui suam sententiam ita expressit: „Inflammatione praegressa circa „anum, abscessus oritur, quod ubi contingit, „corpuscula plura putrescunt propter locorum „humiditatem ac largam caliditatem." Suppuratio autem haec diversae naturae ac indolis habetur. Aut enim pus copiosum, in tumore quodam duro, rubro et dolente nec sine motu febrili colligitur; aut parva quidem copia illud sed pessimo habitu et in pluribus simul locis, ad ipsam praesertim superficiem pastacea intumescentia distinctam sitis, apparet; aut meram denique saniem constituit, e quadam carbunculi specie oriundam, comitante omnino febre maligna. Quid? quod e praegressa etiam circa anum parva duritie, ne levissimum quidem dolorem procreante, interdum pus occultissime efformari potest. Quod si igitur ortus hinc abscessus sibi ipsi relinquatur, pus illum costituens aut in uno quasi foco collectum aut sub cute late diffusum, destructis partibus proximis, communiter per multos sinus ad cutim subit, eam reddit deformem solvitque et colorem eius immutat. Brevi tandem illud ipsum prorumpit,

---

62) l. c. T. II. Sermo XIV.

ulcusque relinquit saepissime sinuosum, hians in exitu suo nunc ad exteriora, (*fistula ani incompleta externa*) nunc ad interiora (*fistula ani incompleta interna*) Ulcus hoc quidem externe aperitur vel mox circa anum, vel non longe ab eo, vel denique in ipso perinaeo. Comparato autem sibi exitu interno, perforat plerumque intestini recti partem posticam non longe ab ambitu ani, *) vel, idque saepius, in superiore quodam loco. Sed quacunque demum ratione pus initio erumpere statuamus, fit ut plurimum temporis successu, ut fistula huiusmodi utrinque, scilicet tum ad intestinum rectum tum extrorsum in quacunque perinaei regione, ostio appareat instructa et haec est *fistula ani completa.* Jam vero pus in ulcere illo contentum, aut uno tantum ostio interno externove manat, aut pluribus simul non longe a se remotis. Quo quidem effluvio suo aegrum ab omnibus vehementioribus cruciatibus liberum reddit; continuus tamen dolor quidam ceterum satis tolerabilis, nonnunquam cum pruritu vel ardore etiam coniunctus sub incessu citiore et sub nimis longa sessione, acerbior remanere solet. Non raro etiam accidit, ut spontanea flexus illius sinnosi praeruptione ostium angustum fiat, exitum liberum puris impediens, quod paulatim magis adhuc coarctatur aut omnino coit, quanquam postea ipsum per se, censente *Saba-*

---

*) Penitiores indagines quoad aperturae internae fistularum ani positionem docuerunt *Ribesium* (Revue medic. Paris 1720. Livr. p. 174) illam fere semper sitam esse mox supra sphincterem ani, ita ut non nisi 5—6 linearum spatio distet ab eo loco, quo cutis externe cum mucosa intestimi recti jungitur: idque ante *Ribesium Sabatier* et *Larrey* observarunt.

tiero 63), denuo aperiatur. Atqui in genere margines orificii eiusque parietes constanter indurescunt, fermeque ossei aliquando sub tactu percipiuntur. materiesque inde manans primo quidem tenuis mox tandem in limpidam rodentemque mutatur, quae dum perpetuo profluat praeter alia multa incommoda pessimum odorem vulgo exhalat.

Jam vero haud multis monendum est, ipsum hoc, de quo agitur, malum, percrebro coniunctum incedere cum tumore venarum haemorrhoidalium, perpetua ani blennorrhoea, aut multa alvi obstructione, qua fit, ut inter deponendam alvum et graviores in ulcere percipiantur dolores, et maior puris copia effluat. Saepe etiam pectoris quaedam adfectio et malus universi corporis habitus morbum nostrum comitantur. Sed sive ulcus illud laevius sive gravius admittamus, nisi vim eius confestim reprimas, magnam excipere potest puris copiam, quae dum in sinuosis flexibus illis magis magisque augeatur, nec effluere queat, in confiniis telae cellulosae colligitur, eadem ratione maiorem partem clunium vel etiam perinaei duritie quadam, scirrhum postmodum referente, aut os sacrum carie incurabili afficere solet 64). Dolor autem inde oriundus mox propagatur ita, ut ipsum os sacrum, vesicam urinariam, scrotum 65), aut feminarum uteri vaginam ipsasque extremitates inferiores invadere atque vehementer nocere videatur 66). Tunc temporis suppuratio in dies augetur, cor·

---

63) Ibid. l. c.
64) *B. Bell.* T. II. pag. 256.
65) *Heister* T. II. pag. 1056.
66) *Musitanus* Tract. Chirur. de tumore. T. 1. Cap. 63.

pus macie tabescit, franguntur vires et mors protinus aggreditur.

NECROSCOPIA.

Absumptorum autem morbo hoc cadavera exhibent musculos gluteos devastatos, intestinum rectum circum circa a nexu suo solutum, variis in locis perforatum, multaque induratione distinctum, os autem ischii coccygis et sacrum carie exesum. *) Haud raro etiam abscessus pure pleni cernuntur; quorum vestigia in nonnullis quoque locis remotioribus, ut in vesica urinaria, in intestino colon dicto, et in femoris articulatione deprehendere licet. Saepissime vero peritonaeum, inprimis pars eius postica, varie adfecta esse animadvertitur: modo enim illud auctore *Howship* 67) est incrassatum, modo ulceratione multa detentum, modo denique in nonnullis locis plane exesum et sublatum.

CAUSAE.

Si modo fistulam ani non primitivum morbum esse velis, verum ab inflammatione praegressa illam oriri; profecto sequitur, ut omnia quae ad hanc producendam conferant, causas illius efficientes esse judices.

---

*) Huiusce generis luculentissimum exemplar anno currente obtulit se in Clinico chirurg. Vilnensi ubi osse coccygis et osse sacri carie consumptis, latens quoque in specu sacrali cauda equina nigricans emollita et fere destructa inventa est, licet ante abitum aegri nullibi observarentur indicia paralyseos.

67) l. c.

Causae Disponentes. Primo quidem loco causas praedisponentes ita appellatas multi auctores ponere solent. *Richerand* monuit 67), ipsum anum, propter magnum nervorum numerum ad eum decurrentium, ac telae cellulosae abundantiam, ad abscessus formandos magnopere praestare. Secundum *B. Bellii* (68) opinionem, lenta humorum circulatio efficit, ut inflammatio in suppurationem cito transeat vulnusque difficile consolidetur.

Atqui ad phlogosin circa anum excitandam maximam certe vim habent nonnulli morbi febriles, quippe qui metastatico modo materiam criticam ad locum istum deducant. inflammationemque, ulcus, vel demum ipsam fistulam promoveant 69); nec minus profecto ad id faciunt *haec omnia, quae qualicunque ratione sanguinem ad intestini recti viciniam alliciunt,* 70); ut: partus difficilis 71), equitatio vehemens 72), haemorrhoides 73), condylomata, excremen-

---

67) l. c. pag. 473.

68) l. c. pag. 258.

69) *Heisterus* vidisse traditur fistulam ani a podagra ortam, quae postea consolidata iterum molestias podagricas ciebat.

70) *Plouquetius* etiam observavit hepatitidem ac metritidem, quae sanatas a se fistulas subsequutae fuerant. At in genere, fistularum ani cum morbis hepatis, glandularum mesaraicarum pulmonumque intimum esse nexum quemdam, animadvertit operis *B. Bellii.* Cel. interpres T. II. pag. 157.

71) *Tulpius* lib. IV. cap. 40.

72) *Hippocrates* περὶ συριγγίου. v. Opp. p. 883. Commerc. Liter. Norimb. 1745. p. 143. Saml. d. Abhandlung. der Geselschaft zu Budissin.

73) Act. natur. Cur. Vol. III. Obs. 17. Vol. VII. Obs.

terum accumulatio propter frequentem in diversis morbis alvi constipationem 74), itidem clysterum abusus 75), vel etiam suppositoria quae infantibus applicari solent. Ad causas huiusmodi referendum quoque est, crimen sodomiticum (76), licet rarissime certe his temporibus committatur: quo nimirum fit, ut modo ipsa instetini recti irritatione, modo syphilitici puris immissione fistula tandem evolvatur. Cuius generis casum ipse quoque vidi.

Causae Occasionales. Dummodo corporis partes illae ad excipiendum morbum jam dispositae sint, facile ipse suscitari potest quacunque occasione; ideoque omnes huc spectant mechanicae inprimis laesiones organicam illarum structuram laedentes, uti: podicis contusiones. ictus, lapsus in clunes, vulnera vario modo inflicta. ossium fracturae. (77), tum etiam spinae piscium, acus, aliaque huius modi corpora heterogenea per fauces introducta et in intestino recto haerentia 78), eadem ratione illas vulnerare possunt instrumenta acuta, quocunque

---

106 *Fabricius Hildanus*, Obs. lib. II. Obs. 75. *De Theÿls* de sanguinis evacuatione per inferiora quam haemorrhoidem vocant ut causa fistulae ani. Lond. 1744. *Montègré* des hemorrhoides. Paris. 1819.]

74) Ibid. l. c.

75) *Pott*. l. c.

76) Interpres *B. Bellii*, T. II. *Coste* l. c.

77) *Palfynus*, T. II. pag. 80 tales casus vidit, ubi os fractum ansam praebuit acutis doloribus ac formationi abscessus, idem etsi proponit modum extrahendi, tamen ad *Saviardi* obser. chirurgicales pag. 295. remittit.

78) *Ledran* Obsrrvations de chirurgie *Flaiani* Collezione d'osservazioni II. N. 59 *Harrison* in Memoirs

modo integritati organicae illata (79). etiam unguis digiti in quapiam exploratione temere adactus (80).

Non tamen hoc solum respectu, neque ab hisce, quas modo enarravi, causis externis, fistulam ani perpetuo proficisci, facile patet; quandoquidem alio quoque modo, ut ex *Lassusii* 81), *Richteri* 82), *Richerandi* 83), observationibus constat, producere eam possunt: faecis stercoralis egressus, parietis intestini recti fissura, varia causa interna inflammatio et suppuratio 84), producta, vitium denique venereum. Quibus omnibus efficitur; ut irritatio inde protinus oriunda, puris postmodum collecti copiam magis magisque augeat, quod donec abundet, tumorem primo quemdam in externa superficie exhibet formam furunculi referentem (85). Verum aliud est etiam abscessus genus in eodem loco saepius sese offerentis, qui ex collectione puris remotiorem aliquantisper sedem occupantis, ibidem prorumpit, movente eum quandoquidem carie ossis coccygis, ischii, phlogosi lumborum ingui-

---

of the medical Society of Lond. Vol. V. N. 18 *Linde* in Jäger's vermischten Schriften II. B. Mémoires de l'Acad. de chirurgie l. p. 571. *Petit* Traité des maladies chirurgicales. II. pag. 220, 230, 232, 234. *Riedlin* Lin. Med. Cum V. Opr. Observ. 6. *Whately v. Kühn* phys. med. Journal 1801 p. 498. *Richter*, *Boyer*, *Cooper* ll. cc.

79) *Lassus* pag. 425.

80) Ibid. l. c.

81) T. II. pag. 424.

82) T. VI. pag. 413.

83) T. II pag. 479.

84) *Sabatier* l. c. pag. 307. *Richerand* l. c. pag. 474.

85) *Richerand* l. c.

numque (86), aut, teste *Musitano* (87) „ab affectione itineris urinae vel apud foeminas vaginae uteri progreditur.“ *Cooperus* (88) autem genus hoc abscessuum fistularumque ab affectionibus aliquando colli vesicae, prostatae, urethrae proficisci arbitratur.

DIAGNOSIS.

Quamvis fistula nonnunquam adeo sit evidens, ut primo quidem oculorum intuitu animadverti possit; non desunt tamen exempla quae minus manifestis eam vestigiis notisque persaepe deprehendi, et pullulantem adhuc perspici posse, declarant. Itaque *Richterus* (89) eam sane ipso iam initio cum ardore, pruritu et dolore iunctam se detegisse fatetur: quae illius symptomata clariora etiam fiebant accedente alvi obstructione, et equitationis aliarumque rerum excitantium usu. Ano autem, aliquantum post dictorum incommodorum declarationem, examinato, invenitur ostiolum callosum unicum vel multiplex, per quod et sanies stillat continuo, et stercora et flatus exeunt aliquando. Verum fistulae initium aegre nonnunquam dignoscitur, ubi illud tenuissimum et orificio ani propinquum est, aut in ejus complicato margine abs-

---

86) Ad quam rem *Nicolai Telpii* spectant haec: „in fi„stulis prope anum exortis principium excurrit non„nunquam sive ad lumbos sive thoracis vertebras, imo „interdum ad ipsas scapulas quas scopula aperta „vocat *Cornelius Celsus*“ *Hufeland*, Journal der prakt. Arzneykunde IX. B. 2. St. pag. 284 *Brompfield* in phylos. Trans. N. 460.
87) Tract. Chir. de tumore T. I. Cap. 63.
88) l. c. pag. 233.
89) Anfangsgründe der Wundarzneykunst T. VI.

conditur. Quamobrem exploratio mechanica in eiusmodi periculis omnino postulatur, specilli ope perficienda, maxime tamen ad varios fistulae flexus ultro indagandos necessaria. Jam specillum illud argenteum vel corneum debet esse, satis tenue (90) et capitulo instructum. Exploratio autem ipsa perficitur hunc in modum: presso nimirum specillo per orificium fistulae externum alterius manus ope, alterius tandem index oleo inunctus intestino recto immittitur; tum dirigendo ad apicem digiti specilli capitulum, diligenter exploratur ipsius fistulae altitudo: atque, si specilli extremitas digiti apicem immediate attigerit, proximum intestini ostium monstrabitur, sin autem instrumentum, nonnisi pariete intestini recti interposita, digitum assequatur, istud certe indicio erit ipsum intestinum tela cellulosa iam carere, sed necdum perforatum esse; atque sensus quidam plus minusve acutus ab instrumento illo metallico percipiendus, crassitiem intestini recti exhibebit. — Ubi tamen plura ostia externa inveneris, quodvis eorum seorsum explorandum est, quo facilius, tum flexuum sinuosorum ductus inveniatur; tum ipsius fistulae rectior via pateat. Sed si accidat, ut fistula in ani viciniis aperta, antequam ad intestinum rectum inclinetur, primo parallelum ad tegumenta ductum servet; tum sinum, illum superficialem rubore, duritie et dolore facile cognoscendum, mox cultri auxilio aperiri oportet. Omnis praeterea circa fistulae ostium induratio introducendo specillo ob-

---

90) Interpres *B. Bellii* monet, cavendum esse ne instrumentum istud nimis tenue sit, quia novas sinuositates producere potest.

stans, remediis emollientibus tolli ostiumque ipsum dilatari debet.

Quoties vero canalis spatium perangustum sit ac tortuosum, ita ut plura quidem orificia paene secum concurrentia praeseferre videatur; quum haec specilli aditum impedire possint, *Sabatierus* 91), et *Renauldinus* 92) censent, opus esse iniectiones ex aqua tepida per aliquod dies iterare, eoque ipso tentare illorum ostiolorum dilatationem: alii tamen scriptores ad hunc finem cultri potius operam adhibendam praecipiunt 93). Atqui *B. Bellius* 94) lentam quandam et caute repetendam specilli inmissionem, qua demum via muniatur, sufficere putat. Qua quidem in exploratione persequenda *Richerand* 95) monet habendam esse rationem corporum quorumvis externorum, ut nucleorum fructus alicuius, spinarum piscium et id genus aliorum, quae forte fistulae adhaeserant.

Neque parum refert, ut aeger ante explorationem alvum habeat laxatam, lotiumque deijciat. Deinde positio quoque ejus, ad hanc explorationem perficiendam accomodanda est. Quamobrem aegros modo in latus decumbere, modo, ut apud veteres in usu fuisse tradit *Aeginetta*, supinos femoribusque diductis, modo denique, ut *Sabatierus* 96), *B. Bellius* 97), *et Renauldinus* 98), jubent, inclinato corporis trun-

91) l. c. pag. 314.
92) l. c. pag. 60.
93) *Richter* T. VI. pag. 414.
94) l. c. pag. 261.
95) l. c. pag. 481.
96) l. c. pag. 324.
97) l. c. T. 2.
98) l. c. pag. 560.

co in incurvatos cubitos et genua, pronos esse oportet.

Verum quae nunc de fistula ani *completa* monuimus, eadem fistulam quoque *incompletam externam* spectare videntur. Ea autem, quam *incompletam internam* appellant, forma sua solummodo a praecedentibus differt, caret enim orificio in cutis superficie, ideoque difficilius animadvertitur. Discernere tamen illam saepissime possis vel mutato cutis illam tegentis colore, tum duritie quoque ac dolore ad solum fere illius fundi attactum, maxime vero tumore quodam duro iuxta anum pullulante, quem consequi primo solent omnia puris orientis signa, donec deminuantur, aut omnino evanescant, ex quo tempore pus ipsum effluere, aut cum excrementis commixtum una emitti coeperit 99): itidem ille dolor initio morbi acutissimus mox paulatim mitigatur, nec demum fere percipitur, nisi aeger deambulando diutius eandem servet positionem 100). Verum tamen omnia haec fistulae *incompletae internae* symptomata, quum separatim sumpta aliis etiam morbis propria esse possint neque semper sufficiant ad intimam huius mali vim cognoscendam, non magnopere medici animum ad se convertere debent, certioraque quaedam indaganda sunt.

Quas autem fistulae species hactenus enumeravimus, earum singulae, pro varia diuturnitate, natura et conditione, variae esse possunt.

---

99) Ab hoc tamen pure distinguendum est aliud illius genus a morbo intestinorum remotiorum oriundum, cum excrementis quum deponuntur mixtum, pariter atque materies quae a glandulis parietem intestini recti imternam inplentibus et quacumque ratione irritatis passim proficiscitur.

100) *Cooper* pag. 232.

Est enim fistula ani *recens*, quae praeruptum ani abscessum mox subsecuta, nullam aut saltem paucissimam prae se fert duritiem et callositatem, prae flexibus autem sinuosis perpetuo pauca quaedam excitat incommoda. Altera fistulae species, eaque frequentior, *inveterata* habetur, ostio calloso et parietibus duris praedita; quae continuo pus male olens cum dolore emittit, et, temporum progressu, ob puris stagnantis vim, factis pluribus flexibus sinuosis, multis in locis simul interdum aperitur. Porro *primaria* seu substantiva ani fistula ea adpellatur, quae post quaslibet externas imae partis intestini recti laesiones oritur, quaeque demum producitur tum varicositate ani et excrementorum accumulatione, tum frequenti in diversis morbis alvi constipatione, clysterum aut suppositoriorum abusu, vitio tandem sodomitico et s. p. — *Secundariam* fistulam dicimus metastatica ratione procreatam, quae a nullis localibus causis pendet, sed aliorum quorundam morborum, praecipuae phthiseos pulmonalis, obstructionis vel exulcerationis hepatis, intestinorum, peritonaei arthritidisque demum anomalae effectus habetur: omnes autem morbi hi, comparente fistula ani, aut paullo relaxare, aut prorsus immutari, aut denique graviores fieri solent. Deinde *Petit* 1), *Sabatier* 2), *Pouteau* 3) aliique 4) fistulam ani dispescunt etiam in *sim-*

---

1) Traité des maladies chirurgicales. Oeuvre postume II. pag 62.

2) In *Fourcroy* Médecine éclairée. T. II.

3) Mélanges de chirurgie. pag. 108.

4) *Lentand* in Journal de Medecine T. XI. V. p. 271. *Py* in Journal de Medecine Montpellier 1805. *Hufeland* J. d. pract. Heilk IX. B. 2. St. pag. 284.

plicem et *complicatam*. *Simplex* fistula, sive recens sive inveterata, ea est, quam, praeter incommoda fistulis propria, nullae aliae partium quarundam remotiorum aut intestino recto proximarum adfectiones comitantur. Fistulam autem cum ossium carie, cum vesicae urinariae et apud faeminas cum vaginae uteri exulceratione, vel denique cum variis morbis internis, potissimum cum syphilide conjunctam, facili negotio dignoscere licet, dummodo materiei effluentis naturam, locum quo emanat, variasque molestias sive eam comitantes sive praecedentes, fistulis ani simplicibus haud tribuendas, recte observare velis: nam haec omnia ad discernendum quemlibet morbum, qui cum fistula copulatus sit, magnopere conferunt.

Sed vel maxime cavendum est, ne fistulam ani, propterea quod in ea partes molles aut varios sinus excipiant, aut ex parte plane tollantur, aut denique indurescant, cum aliis morbis, quibus eadem indicia communia sunt, temere confundamus. Atqui primo quidem loco fistula ani confundi solet cum vesicae urinariae illa, aliquando circa anum ipsum comparente. Nihilominus, posterior a priori distinguitur (a) effluvio puris magis diluti, odorem urinarium exhalantis aut ipsam urinam continentis, coloreque albidiore praediti; (b) induratione versus perinaeum tendente, ac deinde (c) continua humiditate sub lotii depositione, quod omnino aegre exit, nec sine doloribus acutis in quadam urethrae parte. Praeterea, nec omnem puris circa orificium ani collectionem, nec ulcera quaedam, fistulam genuinam constituere, jam docuerunt veteres ac recentiores chirurgi, inter quos vel solius *Heisteri* 5)

5) l. c. pag. 1054.

haec concise dicta adserere lubet: „Ea ulcera, „quae anum sive partes intestino recto propin„quas infestant, atque ea quae recentia sunt et „bonum pus fundunt, abscessus ani; quae vero „plus minusve inveterata, vel et callosa sunt „saniemque tenuem et graveolentem nunc mi„nori nunc maiori copia continuo emittunt, ea „proprio nomine fistula ani nuncupari.“ Hinc sane colligitur, notas et characteres, qui abscessum apertum a fistula ani iam inveterata dissimilem reddunt, ita manifestos esse, ut nequaquam secum confundi possint. Quod alio pacto fit in fistula, quae initio suo una cum abscessu evolvi aut potius ex ipso abscessu surgere videtur, huiusque characteres sibi quoque vindicat adeo etiam, ut transitus mutatioque alterius morbi in alterum ambigua saepissime fiat. Quod spectat autem indurationem eamque aliquando in ani fistula sat magnam, ea quidem, primo adspectu facile cum scirrho intestini recti commisceri potest. At vero si utramque hanc adfectionem attentius indagaveris, facile sane patebit intestini recti scirrhum ab ani fistula differre: morbum enim hunc, non ut fistulam ani, venae haemorrhoidales inflatae, irritabiles, duritieque insignes, potissimum declarant; sed potius tubercula satis dura, rubescentia, dolentia, superficiemque intestini recti contegentia, quae modo ex ano, instar annuli cuiusdam, crassi, callosi, et inaequalis, prominent, modo in intestinum altius ingrediuntur. Deinde in fistula ani dolor nonnisi morbi initio percipitur, atque haemorrhagia non nisi fortuita adest: in scirrho autem intestini recti, tubercula illa exeundo vehementissimum excutiunt dolorem, qui in dies augetur accrescente ipso morbo, haemorrhagia

autem ani frequens e vasis varicosis vel e tuberculis illis exulceratis cernitur.

PROGNOSIS.

Jpsa vero fistulae forma per se, ut monui, nec bonum neque malum morbi exitum mutuare potest. Utcunque bonum expectare licebit, quum illa simplex, primaria, recens, nulloque alio morbo commixta, in corpore ceterum sano sedem occupaverit suam; at in omnibus ceteris casibus, inprimis si fistula cum alio morbo universali aut topico sit copulatâ, suus exitus ab illo potius quam ab ipsa pendebit; porro alia prognosis erit, si diathesis per corpus diffusa eam indolem habuerit, ut remediis idoneis facile auferri queat; alia vero tum, quum difficile aut nullo modo cohiberi potuerit.

Praeterea exsistunt plerique morbi, quos fistula progressu suo aut diminuere, aut omnino auferre videtur; sed vel sic tamen cavendum esse, ne consolidatâ illâ funestum quoddam periculum ingruat, *Jo. Jac. Franc. Vicarius* monuit: „neque a vero, inquit, deerrabis, improvisam necem sollerter divinans, in senibus potissimum, apud quos ani fistulae, crurum ulcera, nares, vel aures acri sanie manare consueta, ab eo opere penitus vacaverint" 6). Sin autem aegritudines quaedam ab ipsa exsistentis fistulae vi quasi consensu aliquo excitentur, nonnisi hac extincta illae profecto tolli possunt 7).

Quod ad morbos locales cum ani fistula copulatos attinet, plures sane rationes ad eorum

---

6) Lib. I. Cap. XVIII pag. 5.

7) *B. Bell.* Affectio pulmonum ex causa fistulae ani.

initium incrementumque, ut praestantiam organi, affectionis genus, magnam partium destructionem et s. p. concurrere, iudicandum est. Atque inter causas infelicis exitus morbi referri facile potest haemorrhagia sub ipsum operationis tempus propter vasorum quorumvis maiorum lacerationem laesionemve irruens, quae iam antiquis medicis in curandis ani fistulis metum perpetuo affere videbatur. Quo circa *Garengeot* 8) arbitratur *rectius omnino chirurgum facere in rebus ita se habentibus, si potius ab operatione manus abstineat.* Nec minus cavendum esse, quin mulieribus gravidis huiusmodi auxilium geras, monet *Mauriceau* 9), qui abortum, quid? mortem etiam inde saepius proficisci observaverat. Superest aliud quoque incommodum, quod operationibus tribui solet, id est spontaneum quoddam materiei faecalis effluvium, quodque iam ab *Aegineta* 10) certissimus operationis effectus iudicatum erat. Verum tamen plura in hanc rem pericula facta nos docuere, sphincterem transcissum denuo coire et paullatim coalescere, ita ut ad munus suum obeundum idoneus tandem fiat. Quae certe et *Palfyni* 11) opinio esse videtur, quippe qui illustrat etiam modum, quo sphincter transcissus ad pristinam suam integritatem redire soleat: docet autem ille locum, quo fibrae secum coeunt, seu ipsam cicatricem esse illorum motus cuiusdam quasi punctum fixum, seu tendinem quemdam, ad quem illarum actio perpetuo referatur.

---

8) In operat. chirurg. cap. de fistula ani.
9) Ejus observat. pag. 618. —
10) l. c.
11) T. II. pag. 87.

Desaultius 12) causam involuntarii faecum effluvii repetendam esse censet a fovea sive foramine sphincteris transcissi, qui prius quam perfecte restauretur aliquantum materiei faecalis transmittit. At si faecum incontinentia ista ne tempore quidem cesset, tantum abest, ut vitium sphincteris transcissi infirmitati tribuatur, ut potius a morbo quodam praegresso, qui musculos depravasset derivandum sit. *Palfynus* 13) autem plures casus se vidisse tradidit, quum sphincter omnino destructus esse appareret, ipsos per se musculos elevatores ani coarctando se quodammodo orificium claudere, illiusque functionem in se recipere.

CURA.

Jam vero *fistulae ani simplicis* medendae ratio in eo certe consistit, ut binae cavitates, septo quodam a se disiunctae, canalis fistulae et intestini recti illae, secum recte copulentur ipso illo septo sublato 14): aut, ad *Pottii* 15) praeceptum, ulcere canaliformi converso in vulnus quoddam apertum; vel denique, quod idem fere est, ad *B. Bellii* 16) placita, cavitate ulcerum sinuosorum, ex quibus pus scaturire solet, destructa.

Enimvero illius, quod modo commemoravi septi destruendi viae ac rationes diversissimae sunt, adeo etiam ut *Desaultius* 17) earum multitudinem designare cupiens, iuste adiungit

---

12) l. c. pag. 418.
13) Ibid. l. c.
14) *Richerand* pag. 485.
15) l. c. pag. 263.
16) l. c. pag. 263.
17) l. c. pag. 380.

quemlibet chirurgum, et quodlibet seculum sibi propriam methodum habuisse. Verum tamen dicendum est, omnes eiusmodi methodos in genere ad medicationem per *pharmaca*, *ligaturas*, et *sectiones* referri posse. Atque primo quidem *pharmaceutica* auxilia varia prorsus adhibebantur in fistula ani curanda. Sic *Evers* 18) exhibuit casum fistulae causis internis productae, remediorum roborantium usu persanatae. Item *Petitus* 19) et *Richterus* 20) memorant fistulas causa venerea excitatas, quae sine ulla operatione cessarunt, observata solummodo corporis positione horisontali, pariter atque alvo libera, adhibitisque mercurialibus pharmacis. *Vogel* autem fistulam a suppressa blennorrhoea ortam, decocto radicis sarsaparillae restrixisse fertur. Verum, si paucos saltem fistularum sua sponte coalescentium casus excipias, externa medicamenta quaevis fortiora hunc ad finem multo magis praestare videntur, veluti caustica inprimis ad sanandas fistulas ani iam dudum praescribi solita, aeque ac omnia diversi generis remedia modo enarrata. Enimvero causticorum usum primo tribuere certe licet metui cuidam haemorrhagiarum in profunda sectione fistulae occurrentium, omnisque operationis sanguineae; deinde non minus sibi illum vindicat callositatem destruendi via et ratio. Quamobrem *Hippocrates* 21) *florem aeris et alumen crudum* in medium duxerat. Ejus autem vestigiis reliqui medici nonnulli, ut: *Celsus* 22), *Raven* 23),

---

18) *Arnemann's* Magazin 1. B. pag. 300.
19) l. c. pag. 75.
20) l. c. pag. 418.
21) Opp. pag. 885.
22) L. VII. l. 5. N. 4.
23) in Neüest. Sammlungen für Wundärzte l. N. 13.

potissimum autem *Baron* 24) insistentes, alia demum huius generis pharmaca adhibuerunt, veluti mercurium sublimatum, arsenicum, minium etc. Neque deerant plurium medicamentorum compositiones quaedam, licet in his causticum aliquod, varians earum efficiens formam, sicut pulveris, pastae, unguenti, et emplastri, semper fere praevaleret. Deinde *Aëtius* 25), in eo loco, quo de medicamentis ad sanandam fistulam idoneis disserit, pleraque etiam rodentia illis adnumeravit, atque inter haec maxime videtur aestimare ex multis huiusmodi composita, quae tamen vel propter istam commixtionem igni subacta, vi sua genuina protinus destitui perspicuum est.

Atqui *Dionis* 26) opinatus est, caustica ceteris omnibus praestare, et quo magis eorum usum commendaret, excitavit exemplo chirurgum parisiensem *Le Moine*, qui ante triginta iam annos, magnum sibi nomen inter populares conciliasse fertur. Neque recentioribus etiam temporibus medicamentornm causticorum usus prorsus neglectus fuit. Nam *Turner* 27) testatur methodum hancce aliquando profuisse; *Sabatier* 28) autem modum etiam incedendi sub hac medicatione necessarium describit, monens, ubi ventum sit ad causticorum usum, ea potissimum sub forma trochiscorum iterata vice in fistulae cavitatem immitenda esse, quotiescunque callositatis quidpiam contineat, speciemque ul-

---

24) Quaest. an in curanda ani fistula fere praestant caustica? Paris 1752.

25) l. c. pag. 789.

26) *Sabatier* l. c. pag. 327.

27) In additamentis *Pottii* T. II. pag. 260.

28) l. c. pag. 328.

ceris impuri etiamnum exhibeat. Utcunque tamen sit, caustica haec medicamenta, ad fistulas deprimendas vix ac ne vix quidem convenire vel ex eo colligitur, quod non in unam, ut opus est, partem quampiam vim exercent suam, verum etiam circumcirca rodere ideoque molesta fieri solent. Omnibus autem vehementius asperiusque est ita appellatum *causticum actuale*, id est culter candens, quod, dum fistula dividenda sit, per specillum sulcatum introducitur, ut hoc modo ipsum secando septum, callositates quoque tollat, sicut *Albucasis* 29), *Girault* 30), *Sacchius* 31), *Severinus* 32), *Guido* 33), aliique multi arbitrabantur. Sed istam methodum plus certe mali, quam ipsum morbum afferre per se patet.

Jam vero praestantior est methodus ani fistulam medendi, quae ejus *ligatura* constat. Hanc vero curationem vel antiquioribus medicis praecipue *Hippocrati* 34), *Celso* 35), *Paulo Aeginettae* 36) et *Albucasi* 37) notam, demum a *Fabricio Hildano* 38) *Fabricio ab Aquapendente* 39), *Purmannio* 40) aliisque passim

---

29) *Albucasis* nullum alium curandi modum novit quam ustionem. part. II. Cap. 80.
30) Quelques Traités des Operations de Chirurgie. Paris 1610.
31) Subsidium Medicinae v. Haller Bibl. Chir. I. p. 272.
32) De efficaci med. pag. 262.
33) Chirurgia p. 51.
34) Lib. de fistulis T. I. S. vi. p. 161 edit. *Foesii*.
35) Lib. vii Cap. iv §. iv.
36) Lib. vi Cap. 78.
37) Lib. III. d. chir. Basil. 1541 Fol. III. 2.
38) Observ. Cent. II. n. 75.
39) Opp. chir. Cap. 39.
40) Chir. curiosa p. 428.

usurpatam, medio seculi elapsi *Foubertus* 41) iterum restauravit; quem secuti sunt alii plurimi maxime quidem *Majault* 42), *Sayoux* 43), *Camper* 44), *Bousquet* 45), *Van Gesscher* 46), *Guckenberger* 47). Verum quidem ligatura fistulae ani *Desaultio* 48) et *Schregero* 49) potissimum emendata inque usum ducta multos detractores habuit, qui eam postponendam esse perpetuo dicebant, his cum maxime argumentis freti, esse nimirum summopere dolorificam, lentissimam in agendo, nec deinde fistulae non multum ab ano distanti curandae idoneam. At vero ligaturam ceteris omnibus auxiliis in ani fistula curanda propositis anteferendam esse, iuxta *Schregeri* 50) placita, sequentia jubent. 1° haemorrhagia paucissima ligaturae causa; 2° deligatio vulneris ferme nulla; 3° alvi deiectio haud turbata, nullasque partes habens in fistulae conditione mutanda; 4° ne minima quidem in vivendi ratione mutatio; 5° nullum denique vitae periculum. In genere autem ad opinionem *Desaulti* 51) et *Schregeri* 52) ligaturam fieri suadent: 1° In individuis utcunque languidis atque cachecticis magnamque suppurationem haud ferentibus; 2°

---

41) Mem. de l' Acad. de Chir. T. III. Paris 1757 pag. 473.
42) Journal de Med. 1774 T. IV.
43) Ibidem 1778. T. I.
44) In Samml. auserl. Abhandl. für Wund. Leipz. 1781.
45) Mémoire sur le traitement de la fistule de l' anus par la ligature. Stokholm 1776.
46) In Verhandelingen van het Genootschapt. Amstedam 1 Deel. n. 4.
47) Diss. de ligatura fistularum ani. Goett. 1784.
48) Chir. Nachlass. II. 4 p. 95.
49) l. c. B. II. p. l. 131.
50) l. c. p. 17.
51) l. c. p. 96.
52) l. c. p. 52.

inprimis dum loca humida ad gangraenam excitandam maxime efficacia inhabitent, occupationibusque domesticis vacare minus valeant; 3° si ostium ani fistulae internae alte inveniatur, digitoque attingi nequeat; 4° si sub operatione vasa conspicua in decursu fistulae facile transcindi possint; 5° quum diarrhoea perpetuo permanet; 6° etiam ipse timor instrumenti incisionem impedire solet. Posthabendam autem e contrario *Schreger* 53) ligaturam dicit: (a) in fistula parietibus callosis praedita; (b) in eadem nimis longa vel plura ostia, (c) multosque sinus laterales (Galli *clapier* vocant) habente; (d) ubi intestinum rectum magna in parte a nexu suo solutum habetur; (e) ubi caries adiuncta percipitur, ac (f) deinde in casu si fistula externa incompleta, duplici canali in intestinum rectum aperitur.

Jam vero ratio ipsa per ligaturam ani fistulam curandi diversissima proposita erat. *Hippocrates* 54) ad hunc finem filis lini quintuplicibus crinibusque equinis contorplicatis utebatur, e quibus confectam ligaturam trajiciebat specilli ope uno apice perforati, mox demum indice ex intestino recto extrahebat, finesque illius exstantes nodo iungebat magis magisque comprimendo. *Celsus* 55) eandem operationem persequi solitus erat, mutata tantum agendi ratione: quandoquidem ille cutem nodo respondentem primo transcindebat, deinceps ligaturam e filis crudis dupliciter aut tripliciter contortis, specilloque perforato immissis, compositam, quavis tertia die mutari renovarique

53) l. c.
54) Lib. de fistulis.
55) Lib. de fistulis.

iubebat, et quo facilius instituta cura properaret, filum magis magisque constringebatur, ad noctem vero partes illae pharmacis cutem callositatemque destruentibus saepe inungebantur. Quam viam ac rationem, *Aeginetta* 56), *Scultetus* 57) multique alii, plus minusve in dies immutatam, plerumque adhibendam esse curabant.

Sed *Fabricius Hildanus* 58), cuius tempore ligaturae usus frequentissimus fuerat, ad hanc rem specillum capitulo cereo munire iubebat, quo minus fistulae parietes dilacerentur, ac in vices fili lino confecti sericum admovebat, putans fore, ut huiusmodi ligatura haud facile ipsa rumpi, fortiusque cutem constringere ac dividere possit. Idem probasse dicitur taeniolam quandam torcularii campestris instar ligneolo appositam, quae nihilominus in usum duci non poterat; nam, priusquam fistulae septum divideret, excoriationem, gangraenamque excitaret 59). *Paraeus* 60) itidem fila linea ad ligaturam faciendam crinibus contorplicata adhibebat, pariter atque *Pigray* qui operationem hanc, magno iam ante se temporis intervallo celebratissimam, ad fistulas curandas optimam esse, vel ipse opinatus est. *Foubertus* autem ad hanc medendi methodum accuratius persequendam adhibuit tandem filum plumbeum, quod ope specilli argentei, flexilis, alteraque ex parte capitulo quodam finiti, altera vero acutioris et tubulati, introduci iubebat, quodque instru-

---

56) Lib. VII. Cap. 78.
57) Armament Chirurg.
58) Operat. Chirurg. pag. 83.
59) Apud *Sabatierum* pag. 323.
60) Oeuvres livr 30 ch. XXIII.

mentum acus lardaceae speciem quandam referebat 61). Itaque superior fili extremitas digito extrahebatur, ac universum istud opus constare videbatur nodo extremitatum efficiendo summittendoque linteo carpto. *Girauld* 62) autem ad hanc fili extremitatem ex intestino recto extrahendam, quod olim solius digiti ope perficiebatur, instrumentum quoddam *bec à corbeau*, a forma sua ita appellatum, invenit.

Atqui ea fistulas ligandi methodus, quam *Desault* usurpare maluit, non solum facile perfici potest, sed etiam expectationem non fallit, aegrisque parum molestiae creare solet. Quamobrem jubet ille, praesertim in fistulis completis, primo traduci filum plumbeum per tubulum argenteum in fistulam immissum, tum superiorem illius extremitatem facillime in intestino recto inflecti posse, monet, educique forficibus in hunc finem a se inventis 63). Tandem, quum iam opus in eo fuerit, ut fili traducti extremitates colligari constringique secum debeant, tunc temporis uti licebit parvo tubulo, ideo excogitato, ut non modo ipsam cutem ab ulla laesione tueatur, sed etiam ad exercendam in ligando vim utrimque aequalem aliquantum prosit contineatque quodammodo filum, quo minus id praeter tenacitatem suam disrumpetur.

Verum, praeter nunc recensitos ani fistulam completam ligandi modos, alii etiamnum innumerabiles paene habentur; qui ad unum omnes, aut in substantiarum ad devincendam fistulam necessariarum moderatione, aut in apparatuum ad hoc opus feliciter perficiendum mutationibus

---

61) Ibid. l. c.
62) Apud *Desaultium* pag. 392.
63) T. II. tab. VI. fig. 5, 6, 7.

consistunt. Sic *Fabricius ab Aquapendente* ad ligandam ani fistulam filo serico; *Thevenin* filo equino; *Camper* taeniola; *Majault* filo plumbeo; *Guckenberger* alio filo metallico ac praecipue aureo; *Oetzmann* chorda deinde musica utebantur. Quam quidem chordam *Richterus* etiam ipse ad omnes fistulas profundiores, quum extremitas superior vix indice tangi possit, applicare, eamque per canalem fistulae introducere solebat, extremitatem vero illius superiorem clysteris ope extrahendam curabat. Ad immitendam vero ligaturam in cavum fistulae *Majault* simplex specillum in extrema parte fissum; *Camper* autem illud *Laforestii* curvatum adhibebat. *Acrel* specillo ad extremum tubulato aureo et ferreo utebatur. *Oetzmanni* vero stylus erat argenteus, qui ad firmandam ligaturam in tubulum cylindricum aureum, in extremitate posteriori fissum, immittebatur. Porro, quum ligaturae in fistulam introductae extremum in intestino recto libere dependens, haud raro attingi nequeat; huic fini ideoque alia etiam adminicula erant proposita multa. Quorum praecipua sunt: *Desaulti* instrumentum *gorgeret repoussoir* dictum; hamulus obtusus, et forceps extremitate modo ipsa coadunanda *Richteri*; spatula cornea *Percyi* ac deinde *Weidmanni* apparatus tubulo secum iuncto duplici, alio crassiori, alio tenuiori compositus; quorum alter prope extremum clausum valvula elastica insignis ani immittitur, alter vero in extremo suo aperto ligula quadam valvulam illam ineunte praeditus, ipso cavo fistulae excipitur, idoneus filo per ostium ligulae traiecto styli ope ultra movendo, donec eundem valvula illa strictius figeret. Deinde, firmandae extus ligaturae praeter tubulum *Desaulti*, alia etiam ratione consulebant chirurgi, aut ad mentem *Fa-*

bricii ab Aquapendente frustulum ligni adhibendo, ad constringenda ligaturae extrema, aut iuxta *Wisemannium* emplastrum aut linteum in coni speciem coactum, aut deinde secundum *Richterum* in usum ducendo tubulum argenteum, duplici foramine laterali propterea instructum, ut fili extrema, secum deinde extra tubulum dictum constringenda, per eundem transmitterentur.

Sed in fistulis ani *incompletis externis* et *internis* simul tractandis, vel in illa fistula, quae multiplici ostio aperitur, curanda, omnino alia ratione procedendum est. Ad aperiendum ostium fistulae *internum*, ut ea hoc modo in *completam* abeat, *Hippocrates* specilli sulcati extremitate obtusa utebatur, *Celsus* specillum sulcatum capituloque praeditum in fistulam immittere, parietemque intestini capituli ope protrusam praescindere suadebat. *Fabricius ab Aquapendente* specillum etiam sulcatum acutius ac, ne paries intestini recti temere laedatur, globulo cereo in extremo munitum adhibebat. *Paraei* apparatus constabat, tubulo chalybeo aut argenteo, in cuius media parte acus apice ancipite, ad perforandum intestinum congrua, movebatur. *Bassii* specillum erat argenteum, flexile, planiusculum et sulcatum, in acutiorem finem desinens. *Perret* proposuit quandam fistulae flexilis speciem pedem unum longae, duas autem lineas latae atque in extremo acutioris et ostio ovali instructae. *Desaulti* autem apparatus simplicissimus constat sola acu triquetra aurea vel chalybea, quae in fistulis ani brevioribus tubuli tenuioris ope in intestinum rectum immittitur; in longioribus autem fistulis acus haec in eundem finem cum spatula lignea excavata (*gorgeret*) coniungi solet. Huic aparatui *Desaultii* haud absimilem

Reisinger etiam proposuit. *Schregerus* vero sub eadem rerum conditione utebatur tubulo conico in extrema parte clauso in rectum intestinum immitendo, atque acu triquetra tenuiori prope cuspidem perforata, fistulae sinuositatem permeante necessariaque ad filum vel plumbeum vel argenteum traducendum, cuius demum pars libera ex orificio fistulae interno dependens, forcipe peculiari per tubum in intestinum rectum movenda, excipitur, ac deinde ad exteriora devincitur. Jam quod fistulae incompletae *internae* curam spectat, ea sane absolvitur praescissa cute in fistulae fundo; quo pacto fistula haec in *completam* mutatur: ad quem finem obtinendum alii utebantur lanceola, alii cultro tenuiore. Cognoscitur autem fistula incompleta *interna* varia ratione; *Heisterus* enim indicem in intestinum rectum immittere solebat, sperans fore, ut hoc modo facilius internum fistulae orificium attingeret; sed quoties istiusmodi illius pericula irrita essent, speculo ani ad hunc finem utebatur. Eodem fere modo etiam *Thibaut* immittebat indicem in intestinum, modo eum ad latus fistulae compressum exteriora versus ducebat, ut pus e canali fistulae usque ad ipsam cutem propelleretur, alterum autem digitum ipsi orificio sensim sensimque admovebat, ut hoc opere dolor in uno quovis loco excitatus imam ani fistulae partem fundumque proderet. Quo facto pergit ille introducere quoque in intestinum rectum lintea convoluta vel carpta, quorum ope puris tum effluentis vis cohibeatur, eoque ipso fundus ille in superficie cutis eminente tumore detegatur. Deinde in fistulis incompleta externis *plura ostia* praeseferentibus, propter faciliorem apparatus ligaturae applicationem, inprimis cutem illis interpositam *Desault* tran-

scindere solitus est 64), qui ad probandam hanc methodum retulit etiam casum quemdam aegri fistula ani laborantis, ut nec incisione, neque excisione a malo liberari potuisset, donec applicata fuerit sibi ligatura, facta primum accurata disiunctione cutis, quae multis foraminibus patuerat.

Sed haec hactenus; nunc de mutationibus, quae sub ipso ligaturae opere obveniant quedam dicenda sunt. Atqui in genere quaecunque sit ani fistula, cognito ejus ductu et altitudine ipsa, antequam ad deligationem perveneris, primum ostium fistulae externum, si id necessarium est, ampliandum vel immissa chorda musica, vel cereolo medicato aut cultro, deinde lotium emittendum, intestinumque rectum a faecibus liberandum, Quae quum sint, statim ea positio aegris est concilianda, ut operator partes laesas commode videat easque manu facile tractare possit, ipsaque demum fistula libera a compressione exsistat. Nihilominus iubent nonnulli aegros in lecto transversim corpore prono cubare, fulcirique cubitu utroque, extremitatibusque autem inferioribus solo insistere. Alii suadent lateralem corporis positionem servare productis extus natibus, flexoque alterutro femore. Antiquiores chirurgi, ut *Aeginetta* refert, aegros componebant suos pari ratione, ac ad lithotomiam peragendam, nimirum in dorso, diductis extremitatibus ad exteriora. Verum iuxta *Schregerum* omnino melius est, ut aegri ad fistulae ductum congrua cubent ra-

---

64) *Richtero* quidem monente (T. VI. pag. 411) exterius plus uno ostio exsistere potest, sed raro hoc interius evenire solet.

tione: quare ubi ostium externum in perinaeo sit, positio aegrorum transversa servanda; ubi autem ostium illud ad alterutrum orificii ani latus inveniatur, aegri in latus adversum decumbere debent. Porro, quum saepe accidat, ut prope ostium fistulae internum, parietes intestini recti a nexu cum partibus vicinis solutos esse videas, quaeritur utrum aptius sit per ostium iam patens trajicere ligaturam, an ostium illud in loco quodam de industria parare? Quanquam vero multi auctores, laesionem in hoc casu artificialem, minime utilem esse arbitrantur, illam tamen penitus necessariam esse experientia ipsa confirmat. Licet enim fistulae curationem, relicta intestini parte soluta, aliquando succedere posse concedamus; id tamen certum est, operationis effectum omnino dubium fore; superstite exulceratione interna. Probarunt hanc opinionem *Majaulti* potissimum et *Fouberti* pericula. *Desaultius* et *Richterus* suadent etiam perforationem intestini recti in superiore loco instituendam. Quam sane arte excitatam laesionem, tum ob contusionem tum ob voluntariam laterum intestini solutionem, noxiam esse monuerat *Acrelius:* qui tamen ejus sequelarum timor, recte utique observante *Schregero*, apparátui potius minus apto, quo ille utebatur, adscribendus est. Quoties autem ligaturae portio in fistula haerens renovari debeat, variae auctorum exstant opiniones. *Hippocrates* docuit ligaturam quotidie, *Celsus* autem bis in die fortius constringendam esse. *Foubert* suadebat omni tertia vel quarta die, filum ligaturae metallicum contorquere. *Camperus* ligaturae constrictionem quavis tertia die, *Desaultius* autem quavis die secunda instituendam esse arbitrantur. At *Schregero* judice, aptius est ligaturam istam tunc temporis modo attrahere, quando eam fa-

cile mobilem inveneris, omnino individualis sensibilitatis habita ratione. Jam vero devinctae fistulae deligatio a *Campero* proposita admodum simplex est, constatque linteo carpto sicco et emplastri adhaesivi taeniolis, quibus illud ad nates firmetur. *Le Blanc* ad deligationem linteo complicato et fascia utebatur. *Desault* tubuli ligatorii latera plumaceolis muniebat. *Sabatier* ejusdem fili plumbei per fistulam traiecti utramque extremitatem aut gossypio aut linteo carpto tenui obvolutam uno in loco firmabat. *Schregeri* apparatus simplicissimus ad fortiter vinciendum vel maxime idoneus habetur. Si enim fistulae ligaturam fili cuiusdam mollioris ope instituas; fili huius uterque finis, in nodum convolutus, taeniola emplastri adhaesivi retinendus est. Si autem fili ejusdem extremitates tubulo *Richteri* contrahantur, admovendum est linteum complicatum et fascia. At ligaturae metallicae extrema aut obvolvere, aut instrumento *Desaulti* breviora reddere opus est, superimposito circumcirca linteo carpto, aut linteo complicato. Postremo si, amota iam ligatura, quandam vulneris partem nondum coiisse animadvertas, eam naturae viribus relinquere, aut, iuxta *Desaultium*, linteo carpto sicco deligare praestat.

S E C T I O.

Altera fistulae ani curatio constat eius *sectione* cultro ad hunc usum parato perficienda. De qua medendi ratione iam inde ab *Hippocrate*, *Celso*, medicisque *Arabicis*, qui eam describendam in suis operibus persequuti sunt, accuratam sane habemus notitiam. Nihil igitur impedit, quominus fistularum ani incisionem aggrediaris, quoties appareat *ligaturam* parum

profuisse. Ad omnes autem fistulas illa certe admovenda est, quas multiplices sinuositates et callositates occupant, aut quarum ostia, *Sabatiero* et *Richtero* monentibus, nimis alte sita sunt, idecque ipsae fistulae valde longae habentur; item ubi intestinum rectum magna parte a nexu suo cum partibus vicinis solutum esse cernitur, accedente ossium carie; postremo, quotiescunque incisio nullum periculum allatura esse videtur. Explorata autem diligenter fistula, aegroque ipso ad operationem praeparato et congrua ratione collocato, primo omnia, quibus tum ad sectionem instituendam tum ad vulnus deligandum opus sit, comparentur oportet. Quae sunt: (a) duo specilla argentea, flexilia, et sulcata, unum ad finem apertum, alterum vero in extremitate superiori clausum. (b) Culter *Pottii* capitulo instructus. (c) Culter rectus, oblongus, tenuis. (d) Culter *Savigny*. (e) Forfices cum apicibus obtusis. (f) *Gorgeret* ligneum. (g) Apparatus ad ligandas arterias. Insuper (1) spongia, (2) aqua frigida et tepida, (3) oleum olivarum, (4) plurima plumaceola duos vel quatuor pollices longa, recenti oleo olivarum imbuta, (5) taeniolae ex emplastro adhaesivo, (6) *spenia* longitudinalia, (7) fascia formam referens litterae T, (8) multaque ellychnia iuxta *Richterum* ad compescendam haemorrhagiam comparata.

Deinde unus aut bini adjutores clunes aegrotantis distendunt, quo facilius index operatoris, oleo olivarum inunctus, in anum immitti, alteraque eius manu instrumentum ad incisionem faciendam destinatum, per fistulae canalem introduci queant. Tunc huius instrumenti acumen digito in intestinum immisso per orificium internum educitur, aut deficiente orificio superiori, pungendo parietem hiatus artifi-

cialis efficitur: porro cultri specillo instructi lamina per intestinum rectum extrahitur, quae si acuta fuerit, ne sibi oppositam parietem laedat, eodem digito in intestino haerenti obtegitur. Itaque digiti ope ducendo instrumentum sine ullo damno disiungere potest septum fistulae ani, qua tandem aperta, sinuositates eius confestim examinandae sunt, atque, si aderint, simili modo discindi debent.

Jam vero haec fistulas ani per incisionem tractandi methodus ab antiquissimis medicis saepissime adhibebatur, licet non ita ut nunc ea perfecta excultaque fuisset, ut ex *Hippocratis*, *Celsi*, Arabumque illam vel maxime commendantium scriptis constat. Quandoquidem ejus perpetuum usum non nisi ad fistulas externas applicabant illi, ipsum orificium ani minus respicientes, adeo etiam, ut reliqua omnia, quae intestinum occupare solent, fistularum genera incurabilia esse crederent. *Palfynus* etiam addit, veteres ne sphincterem quidem ani superiorem, dum crassior apparuisset, instrumento acuto tangere, multo minus incisionem persequi ausos esse. Atqui *Galenus* 65) in hac operatione adhibuisse fertur scalpellum falcis formam referens specilloque acuto ad apicem munitum, quod ideo *falciforme* seu graeco vocabulo *Syringotomus* appellatum erat 66). Cuiusmodi culter deinceps diverso modo quoad formam suam variari, ac tandem operculo quodam metallico sub operatione contegi solitus, *bistouri royal* vocabatur 67); cuius cultri conficien-

---

65) Method. Med. VI. Cap. 4.

66) Eiusmodi instrumentorum varias species exhibuit *Heisterus* T. II. tab. XXXV.

67) Quod quidem instrumentum in operatione fistulae

di ratio apud *Frekium* 68), *Arnemannium* 69), et *Blömerum* 70) descripta legitur. *Scultet* aptissimum ad hanc operationem perficiendam instrumentum putat esse scalpellum ad herniotomias olim applicari solitum atque a *Bassio* 71) in usum denuo revocatum, cujus primus inventor *Le Mairius* quidam Chirurgus Argentoratensis fuisse traditur. Sed *Pott* 72), *B. Bell* 73) aliique utebantur scalpello concavo, longo, in nodulum quemdam abeunte; quod aliquantulum ab *Oetzmannio* 74), *Dzondio* 75) et *Remnisio* 78) immutatum, deinde instrumentum *Pottii* est appellatum, atque a *Savignyo* perfectius utiliusque factum adiecta ejus lateri plana quadam acuta mobilique lamella. Melior tamen illo esse videtur culter *Whatelyi*, qui in vagina reconditus, specillo curvato similis, facilius in canalem fistulae ingrediatur 77). Atqui *Glissau* 68) omnia haec, quae modo recensui, instrumenta, aliaque horum similia vel propterea improbat, quod iis commode uti haud liceat inprimis in fistulis, quarum superius ori-

---

ani, qua Ludovicus XIV. Franco-Gallorum rex laboraverat, primum adhibitum fuit, ideoque *Bistouri royal* nomen obtinuit.

68) Append to *Barrauglby* Transl. of *Astruc* Tr. on the fistula ani. Lond. 1738.

69) System der Chirurgie I. B. 2. Abth. S. 430.

70) *Graefe* und *Walthers* Joürnal. IV. I. fig. 14—17.

71) Hallae anno 1718.

72) l. c. pag. 404.

73) l. c. pag. 666.

74) l. c. pag. 65.

75) Gesch. d. Klin. Inst. zu Hallae 1813 pag. 129.

76) Langenbeck's Bibl. 2. B.

77) *B. Bell.* T. VI. pag. 155.

78) Apud *Desault*.

ficium altius latet, quam index penetrare possit, pariter atque in iis, quarum canalis recte decurrit. Accedit etiam, quod eiusmodi culter transeundo ipsius fistulae canalem, eius parietes laedere, viisque lateralibus oriundis ansam praebere potest, maiores quoque dolores saepe excitat, atque operationem in dies protrahere solet: neque minus timendum, ne oppositam intestini parietem, vel etiam chirurgi digitum laedat.

Quibus incommodis quo facilius occureret *Desault*, invenit 1. scalpellum cum lamella longa rectaque, 2. specillum ad finem apertum, 3. denique *gorgeret* ligneum. Neque negari certe potest, horum quodlibet probe adhibitum ad perficiendam, ut fas est, operationem magnopere conferre. Etenim primo specillum illud in canalem fistulae immitendum, propter teretem formam suam, facile ac sine magno dolore intrat, suaque extremitas per naturale aut artificiale orificium superius in cavitatem intestini recti illabitur, dirigendoque cultro inservire videtur. Deinde illud instrumentum, quod *gorgeret* appellatur, ad fistulas altius indicis quidem longitudine diductas praecipue spectat, in eoque illius utilitas vel maxime cernitur, ut non modo intestini recti latus oppositum ab omni laesione tueatur, verum etiam punctum quoddam fixum efficiat, quo culter quasi innixus certiorem reddere solet sectionem. Quodsi instrumentum istud inprimis a *Desaultio* in usum receptum sit, non tamen inde sequitur, hunc illius principem auctorem exstitisse; etenim satis superque constat illius usum iam *Marchettio* 81) notum fuisse, qui de alio quoque efficiendo co-

---

79) Obs. Med. Chir. pag. 155.

gitasset, metallico, molliqne materia quadam obducto, eo scilicet consilio, ne ipsum scalpellum obtunderetur. Eadem certe ratione *Raw* illius usum commendat, *Masiero* autem Chirurgus Patavinus etiam illius effigiem expressit. Apparatus vero instrumentorum *Rungii* Chirurgi Bromensis 80) haud sane differt a *Desaulti* illo, nisi quod hic posterior manubrium *gorgereti* aliquantum inflecti ipsumque instrumentum ex ligno fieri jubebat; ad sectionem vero utebatur scalpello recto, angusto, longo, eoque acuto, quod specilli item inflexi ductu facile immitti posset: at *gorgeret* illud *Rungii* et *Percyo* demum correctius perfectiusque redditum est 81). Verum, quomodocunque res se habeat, vel in altiore fistula ani secanda, quo simplicior sit methodus adhibita, eo melior est putanda. Itaque hac sub rerum conditione aut iuxta praecepta *Richerandi* 84) incedendum est, posito nimirum aegro ratione supra exposita ligneum primo *gorgeret* ano immittitur, in fistulam autem specillum sulcatum extremo aperto munitum, atque dein cultri consueti ope, partes solvendae perscinduntur; aut, juxta *Zangi* 83) propositum, committitur intestino recto *gorgeret* qualecunque, fistulaque ipsa cum partibus reliquis cultelli *Savigny* auxilio solvitur omnino. In fistulis tamen, quarum orificium internum nimis alte positum sit, *B. Bellius*, et *Pottius* proponunt, ut earum solummodo pars ima solvatur, vel, idque melius, dilatetur; *Dzondius*

80) Apud *Heisterum* pag. 1064.
81) Journal de Médecine et Chirurg. T. 72.
82) l. c. Vol. III.
83) l. c. pag. 337.

84) autem monuit, fistulae orificio externo dilatato, reliquam eius partem, solutionis lapidis caustici iniectione destruendam esse. Postremo si accidat, ut intestinum rectum etiam supra fistulae ostium solutum esse appareat, *Schreger* 85) vult, ut, sectione fistulae facta, ea etiam pars, quae intacta supersit, tanquam male adfecta, forficum super indicem in intestinum rectum introductorum ope perscindatur.

E X C I S I O.

Quamvis fistulae simplices *sectione* commode depelluntur: quoties tamen eae inveteratae complicataeque sint, non semper haec methodus prosperos successus habet. Quamobrem veteres iam medici quum animadverterent, leniorem illam, quam modo enarravi, fistulas tractandi viam ac rationem saepenumero irritam fieri expectationemque fallere, perfectiorem illam reddendi studio adducti sunt demum ad suscipiendam licet multo asperiorem operationem, quae in *excindendis* partibus affectis consisteret, persuasi nimirum, gravius istud malum, nonnisi iis quae corrupta exsisterent prorsus ablatis, denique exstingui posse. In genere vero operationem hanc multum dolorificam, facile sequuntur haemorhagiae, febris vehemens, suppuratio abunda, diarrhoea et nimia ani ob majorem substantiae jacturam constrictio. Attamen diversis certe modis ipsa olim *excisio* perficiebatur, cuius praecipuas aliquot rationes *Celsus* 86) his verbis complexus est: „demisso „specillo duabus lineis incidenda cutis est; ut

84) l. c. pag. 128.
85) l. c. p. 64.
86) Lib. VII. Cap. 4.

„media inter illos habenula tenuis lineamentis, „quae quam paucissima super incidenda sunt". Ad *Aëtii* 87) vero monita, quoties ipsius specilli metallici primus ingressus nondum omnia corpuscula callosa, ut fieri solet, vel ipso ambitu suo abstulerit, factaque sectione exstiterit adhuc inhaerens callus, hic confestim circumcirca scalpendus est; at si rugae quoque apparuerint, volsella exstante resecentur oportet. Nec multum diversa ratione *Guido a Cauliaco* eo quidem loco, quo huic, de qua agitur, operationi remotiorem vetustatem assignare conatur, haec etiam addit: „penetrantes fistulae (secundum *Rhasin*) non sa„nantur, nisi cum ligatione et extractione cum „falce". Quamvis probatum tandem fuerit, istam operationem non modo vehementem dolorem excutere, ipsamque saepenumero irritam fieri, sed vel illius, quam partes molles plerumque patiuntur, jacturae causa, inopportunam exsistere; nihilominus posterioribus etiam temporibus suis asseclis cultoribusque haud caruisse illam, satis superque constat. Etenim *Cheselden* 88), qui ceterum consentire videtur, fistulam ani vel simplici sectione saepius tolli posse, itidem subiungit, certiorem viam rationemque in eo consistere, ut omnes in illius confiniis partes scirrhosae ac fistulosae quam primum excindantur: praeterea excisionem pyramidalem minus commodam esse, nisi forficum, quas ipse ad polyporum operationem applicuisse fertur, adminiculo, instituendam esse, opinatur.

---

87) Tebrab IV Serm. 2. Cap.

88) In Animadv. ad *Gutacker's* trad Oper: *Ledranii* the operat in Surger. Londy. 1752.

Deinde *De la Faye* 89), cui eadem operatio non minus placuisse traditur, utcunque iubebat exscindi partes morbosas in circulum ansae metallicae, sperans nimirum fore, ut vulnus fundo suo latius extensum ad puris et materiei effluvium conferret, ideoque consolidationem citius efficeret.

Ad praeceptum *Ledranii* si morbus unum latus intestini recti occupaverit, tunc partes denudatae excindendae sunt, ne, dum relictae sint, ulceri fistuloso ansam praebeant; dissectae vero, itidem descendentium atque pendentium marginum suorum causa, ne ipsam vulneris deligationem difficilem reddant. Quam tamen opinionem acute redarguere videtur *Pottius* 90). Ceterum nullus, arbitror, inficias ibit, nec istam methodum ad quamlibet fistulam, sectionis simplicis loco, sine ullo quidem discrimine applicandam, neque prorsus respuendam esse. Etenim *Desault* 91), *Richerand* 92), *B. Bell* 93), monuerunt, perbene illam adhiberi posse, quotiescunque cutis ipsam fistulam obducens inflammatione aut suppuratione adeo sit extenuata, ut suum pristinum statum vix ac ne vix quidem recuperare queat. *Sabatier* 94) vero proposuit excisionem in fistulis callositate scirrhosa profunda et vasta distinctis. Nec minus *Vering* 95) eandem ope-

---

89) *Dionis* l. c.
90) l. c. pag. 273.
91) l. c. pag. 415.
92) l. c. pag. 478.
93) l. c. pag. 289.
94) l. c. pag. 320.
95) Beobachtungen der K. K. Med. Chir. Joseph. Akademie. 1. B. St. 3. p. 99.

rationem apparente duritie cartilaginea prae ceteris commendat: quandoquidem organisatio suppressa irritabilitatem extinguere continuo solet. *Zangius* 96) quoque fistulae multas callositates praeseferentis excisionem vel maxime laudat, eamque obliqua sinuositatis sursum deorsumque tendente sectione perficiendam esse praecipit.

Omnibus itaque ani fistulam curandi methodis, quarum nonnisi praecipuas hoc loco exposuimus, ea utique praestare videtur, quae *incisione* fistulae absolvitur, et ad quam etiam sub ipsa *excisione* interdum confugiendum est. Sed quae eam subsequitur, et ut recte observavit *Richerandus*, ne evitari quidem ullo pacto potest, haemorrhagia, ejus certe ratio vel maxime habenda est, ac postquam eruperit, mox examinandum erit unde sit profecta. Quamobrem digito indice tota vulneris superficies diligenter exploretur, deinde, vel etiam haemorrhagiae e vasis minoribus aut externis impetus confestim cohibeatur oportet, applicito ad comprimendum linteo carpto aut pharmacis stipticis, ut: aqua aluminosa, pulvere colophoniae et his similibus linteo exceptis. *Richterus* 97) vero post incisionem fistulae ani, non admodum profundae, ad sedandam haemorrhagiae vim usurpare solebat aquam frigidam, agaricum aliasve huiusmodi res stipticas, easdemque per lintea carpta digiti ope ano immittendas curabat. Sin haemorhagia ex vase aliquo maiore emanare videatur, idem monet protinus applicandam

---

96) Oper. 3. Th. pag. 383.
97) l. c. pag. 431.

esse ligaturam, ut semper tamen caveas, ne ulla membranae internae intestini particula temere arripiatur. Atqui *Morand* in eodem casu ferrum candens cum prospero eventu aliquoties adhibuisse perhibetur. Quod tamen remedium nullo pacto prodesse poterit, ubi vasis quibusdam majoribus altius laesis vehemens haemorrhagia orta fuerit. Ea autem vel maxime timenda est; sapenumero enim tunc sanguis, incredibili copia effluens, in intestini recti cavitate colligitur: cujus rei exemplum *Palfynus* 98) deduxit ex aegro quodam vel propterea emortuo, quod sanguis non per vulnus exierat, sed totus in intestina diffusus erat. Ceterum horrendae hujus haemorrhagiae signa multo certiora sunt: pallor totius corporis; debilitas; extremitatum frigus; pulsus parvus languidusque; caloris in ventre sensus quidam, quasi a clystere tepido productus; vultus et manuum sudor, atque frequens lipothymia. Quodsi haec symptomata appareant, omnis apparatus, qui primo applicatus esset, extemplo abjici debet, sanguis in intestino recto coagmentatus extrahendus, et efficaciora remedia quaerenda sunt. Propterea *Sabatier* 99) vasi sanguinem fundenti, ad ipsum quidem eius hiatum, applicari vult frustulum sulphatis cupri; quae tamen opera nec ab inoportuna difficultate immunis est, nec ullam utilitatem praestare potest. *Levretus* autem in eiusmodi casu primus usus esse dicitur vesica vacua ovili, quam in intestinum rectum immissam, aëre replebat laqueoque constringebat. Verum tamen istius

---

98) Operat. Chirurg. Cap. 20.
99) l. c. pag. 340.

methodi inventionem vindicat sibi *D. Blegny*, quippe qui ad prolapsum ani curandum illam adhibebat, solitusque est hunc ad finem usurpare modo vesicam porcinam, modo galli pavonis ventriculum, ita quidem, ut tubuli ope aëre implerentur. Enimvero eandem methodum magis quidem a *La Faye* in dies excultam esse *Desaultius* testatur; minime tamen probari illam posse opinatur, quum illius actio difficillime feratur ad eum locum, quo haemorrhagia evadere solet. Quapropter praestare illi censet idem linteum quadratum, in unoquoque angulo taeniolis munitum; quod, intestino recto ita immissum, ut pars ejus convexa vulneri respondeat, linteis carptis, pulvere colophoniae inspersis repletur: taeniolarum autem ope, quas angulis ejus assutas esse diximus, si res postulet, extrahitur. *Desaultii* vestigiis institerunt *Percy* et *Richterus* 100), quorum ultimus apparatu hoc primum usus esse fertur ad sistendam haemorrhagiam, quae excisam intestini recti membranam in prolapsu ani subsecuta fuerat.

Quod ad fistulae ani transcissae *deligationem* attinet, haec eodem fere modo ac in vulneribus simplicibus facienda est; at vel maxime cavendum est, ne vulnus apertum multo linteo carpto implicetur, licet hic apparatus et olim communiter applicari solitus fuerit, et ab *Heistero* adhucdum probetur. Nam istam in deligando viam ac rationem, vel ideo, quod omni re heterogenea intestinum rectum facillime irritari potest, pravam noxiamve esse

---

100) l. c. pag. 431.

idoneis argumentis probavit *B. Bell*, docuitque ampla sectione omnia incommoda ocius finiri, quam illa in ulcus immissa linteorum copia, quae iam dudum usurpari solet. Quae quum ita sint, linteum carptum unguento corrosivo delibatum multo minus etiam ad istam rem conferre potest; quandoquidem neminem fugit, omnia eius generis remedia, intestinum rectum perpetuo irritantia, non modo vulneri medendo adversari, verum etiam, praeter vehementem dolorem, excitare diarrhoeam, et consolidationi vulneris officere: auctore autem *Richtero* 1) colicam, vomitum, suppressionem urinae illa producere solent.

Pouteau aliam, praecedenti prorsus contrariam, rationem commendare videtur. Postquam enim aegrum quendam, gangraena jam intestinum rectum occupante, tractandum suscepisset, eumque, amoto mox omni apparatu, sine ulla deligatione ulteriore relictum, post escharae separationem, trium septimanarum spatio convaluisse animadvertisset, protinus conjecit quotidianam lintei carpti inter vulneris margines introductionem ideo inimicam esse, quod carunculas carneas vulneris superficiem occupantes omnino diruat. Atqui nos, mediam quasi viam ingressi, eam amplexi sumus rationem, quae consilio nostro maxime respondere videtur, quaeque in eo consistit, ut plumaceolum quoddam e linteo carpto, unguentoque miti illinito compositum, inter vulneris margines specillo quodam leniter immissum in exteriore parte lintei

---

1) l. c. pag. 434.

plicati fasciaeque figuram fere hanc T exhibentis ope retineatur. Quae opera, vel eo sane praestat, quod pharmacum ipsum per se lenissimum vulneris margiues mulcet, linteum vero carptum puris copiam cohibet, atque hac ratione impedire videtur, quominus materies ex intestino recto stillans, ipsum vulnus aggrediatur. *Sabatieri* etiam periculum, qui neglecta quondam deligatione, adeo, ut margines fistulae incisae paulatim secum coiissent; operationem iterare tandem coactus esse dicitur, satis superque docet nostram deligationis faciendae rationem ac viam ceteris omnibus praestare.

Jam vero constat primam eius mutationem seu renovationem, praesertim si ipsam operationem haemorrhagia subsecuta fuisset 2), non prius certe persequendam esse, donec larga suppuratio instauretur, excepto solum casu diarrhoeae, quae frequentem sane deligationem requirit. Diarrhoea autem haec, dummodo tolerabilis sit, naturae viribus relinquatur oportet; sed quoties vehementer aegrum exagitet, totus apparatus amovendus et in leniorem mutandus est: ad interiorem autem usum diarrhoeae sistendae causa, medicamenta supra laudata porrigantur opus est.

Quum fistula incisa non semper recipere soleat ulceris simplicis formam, quae remediis topicis iisdemque lenioribus placari possit, sequitur, dum illius caruncolae molles, flaccidae, pallescentes, livescentesve appareant, materies vero emanans sit limpida, maleolens, cruoreque

---

2) *Sabatier* l. c. pag. 341.

infecta, imprimis vulneris superficiem diligentius examinandam esse, num sinus aliquis adhuc relictus obviam fiat; quo invento sectoque, illius quoque characteres meliores protinus evadent. Quum etiam vulneris omnis vicissitudo a diathesi per totum corpus diffusa proficisci possit; omnia remedia externa parum utique proficere solent, priusquam ipsa corporis conditio, sive ea venerea, scorbutica, scrophulosa, arthritica, sive etiam trichomatosa sit, idoneis medicamentis mutata restitutaque fuerit. Propterea plures auctores in quavis huiusmodi operatione persequenda, diathesim morbosam imprimis extingui iubent; quamvis ceterum constet, eam per totum corpus diffusam, nisi post operationem ex ipsa tandem vulneris indole mutata cognosci posse.

Quoties vero vicissitudo mutatioque illa a morbis febrilibus, copiosa puris secretione, aut ciborum salubrium penuria repetenda sit; tunc temporis, praeter victum succulentum, praecipitur vulgo parcus vini usus, item corticis peruviani ille, et id genus aliorum. Quo quidem respectu *Boyer* commemorat iuvenem quemdam fistula subaxillari laborantem, qui sola lactea diaeta adhibita convaluerit.

In universum vero monita nuper exposita ad fistulas ani simplices easque primarias spectant: in casu vero fistularum ani una cum carie cuiuscunque ossis evenientium, cura palliativa maximi profecto aestimanda est, in eoque praecipue consistit; primo, ut doloris, quoad eius fieri possit, minuendi causa, vulneris orificium latius reddas, quo facilius materies effluere queat, quasque haec forsan obduxisset partes, ut aqua tepida saepius abluantur; tum vero iniectiones

e medicamentis saniem emendantibus pariter atque in os cariosum agentibus compositae, adhibeantur opus est. Quo quidem consilio prae ceteris laudantur aromatica, eademque antiseptica, ut: acidum phosphoricum, tinctura assae foetidae et id genus alia, imprimis vero diaeta nutriens frequentiorque corroborantium usus: praeterea mechanicam quoque in id operam dare licet, ut exstantia ossium frustula a se invicem dimoveantur. Hoc modo et non parum levaminis aegro afferre, et non nunquam ad perfectam valetudinem reducere eum possis 3). Equidem eadem ferme ratione curam nuper habui viri cujusdam sex et triginta annos nati, qui itidem laboraverat fistula a syphilide oriunda cumque carie copulata: neque me impensi operis poenituit; adhibitis enim remediis syphilidi tollendae aptis, aeque ac latiori sectione circumcirca multoties iterata, ab omni tandem discrimine ille est liberatus.

Ceterum nullus profecto inficias ibit infestam esse molestissimamque fistulae ani cum vesicae urinariae illa copulationem, quippe cuius tollendae ulla ratio ac via adhucdum ignoratur. Omne autem opus ad protrahendam solummodo miseram huius generis aegrorum vitam, et quoad eius fieri possit, minuendos dolores spectare videtur, in eoque consistit, ut faeces illabentes simul ac retenta urina catheteris ope educantur, atque huiusmodi molestiae iterum coërceantur. Unde etiam sequitur, maximam perpetuo servandam esse munditiem earum partium, quas sordes cum urina commixtae perfluunt, et quoties illae inflammentur ac nimis irritatae appareant, tum adhibitis reme-

3) *B. Bell* pag. 293.

diis mitioribus 4) sine omni cunctatione deligandae sunt. Ad solvendam vero urinae acerbitatem decocta emollientia, mucilaginosa, atque diaeta nutriens facilisque, vel maxime convenire videntur.

---

4) Optima quidem ratione partes subinde excoriatae inspergi possunt pulvere seminis lycopodii clavati.

DE
TUMORIBUS CYSTICIS
DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM

IN CAESAREA LITTERARUM UNIVERSITATE VILNENSI

AD

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE LEGITIME CAPESSENDUM

PUBLICO MEDICORUM JUDICIO

SUBMITTIT

ADOLPHUS RUDOLPHUS

B E R E N D S

GRODNENSIS

MEDICINAE MAGISTER

Anno MDCCCXXVII die Januarii.

VILNAE.
Typis Zymelii, sitis in platea palatina sub N. 185.

1827.

DEFINITIO.

E diversis quidem auctorum notionibus, quas ipsi de tumorum cysticorum externa fabrica, de eorumque origine ac formatione scriptis suis consignarunt, nec minus e cadaverum autopsia atque accuratiori anatomica disquisitione, diversas quoque exortas esse morbi definitiones, satis superque constat. Quarum tamen quum pleraeque aut ambiguae falsaeque videantur, aut, quadam ex parte genuinam tumorum naturam ac indolem sectantes, non omnia eorum signa diagnostica exprimant; opere pretium est, primo eiusmodi morbum ita designare, ut eius definitio in genere suam naturam probe reddat, suamque conformationem simul declaret, atque omnes illius species complecti videatur. Itaque, *tumores cystici appellantur ii, qui membrana seroso-mucosa, corneo-albuminosa, aut fibroso-cellulosa, in saccum composita continentur, ipsi vero constant e materia mellis formam referente, eademque pultacea, adiposa, cornea vel etiam ossea.*

HISTORIA et LITTERATURA.

Quodsi perpendamus, anatomiam pathologicam, hisce ultimis potissimum temporibus excultam, antiquioribus medicis vix ac ne vix quidem cognitam fuisse, facile nobis in mentem veniet, cysticorum quoque tumorum plenam notitiam ex operibus medii aevi nequaquam posse deduci. Et, quamvis nonnulli virorum eruditorum opinentur, melicerem iam *Hippocrati* innotuisse, nihilominus constat, pretiosissima *Cöi* medici scripta, quae in hac re versantur, intellectu admodum esse difficilia. *Celsus*, qui nonnisi in lupias observationes factitasse creditur, cysticos tumores ab illis nunquam profecto distinguebat. Nec quidquam lucis attulit *Paulus Aeginetta* aeque ac

Ingrassias 1), qui ceterum a se describendorum morborum naturam satis percipere videntur: neque in *Fabricii ab Aquapendente*, *Verducii*, *Platneri*, scriptis facile reperies, quod cysticorum naturam ac indolem recte designet. *Galenus*, *Aetius*, *Rhazes*, aliique descripserunt quidem tumores nonnullos saccatos verum tamen scripta illorum ad calculos saccatos atque hydropem saccatum potius, quam veros tumores cysticos spectare dixeris, licet sint eruditorum multi, qui clariores illorum ad hanc rem notitias in *Halleri* thesibus chirurgicis expressas esse iudicent. Maxime autem ad rem illustrandam contulerunt *Rey* 2) et *Girard* 3), hujusque postremi in primis opus plures continet expositiones, aeque utiles, atque accuratas. Tum demum anno 1765 *Chopartii* 4) liber Academiae Parisiensis auctoritate in lucem editus est, qui veram formationis cysticorum tumorum theoriam luculenter expositam complectitur. *Girardus* autem in eo potissimum operam suam collocasse videtur, ut medicorum, qui eum praecesserunt, opiniones in unum colligeret. Ex quo tandem Anatomiae pathologicae scientia aucta fuerat; tumorum quoque diversa genera, nec minus cysticorum ea magis magisque exposita sunt: etenim *Louis* 5), *Bichat* 6), *Cruveilhier* 7), quum illorum morborum in genere habitum naturamque sagacissime pervestigantes utilissimos tractatus conscripserunt, tum diversas theorias ad cystidum pariter atque ipsius materiei, quae illis continetur, originem conformationemque indagandam ac illustrandam consignarunt. Huc etiam pertinent celeberrimi aliquot scriptores,

---

1) De tumoribus praeter naturam. Neapoli 1553.
2) Traité des tumeurs enkystés. Brouxelles 1752.
3) Loupilogie ou traité des tumeurs connues sous le nom des Loupes. Paris 1775.
4) Prix de l'Academie de Chirurgie. Paris 1766.
5) Encyclopedie; mot enkysté.
6) Anatomie Génerale T. 1. pag. 103.
7) Essai sur l'Anatomie pathologique. Paris. T. 1. pag. 204.

quorum auctoritae adiumentoque in colligendo hocce meo specimine magna ex parte uti mihi licuit, prae ceteris, *Heister* 8), *Desault* 9), *Chopart* 10), *Loder* 11), *B. Bell* 12), *Delpech* 13), *Cooper* 14), *Richerand* 15), *Zang* 16), *Boyer* 17). In multis tamen disputationis huius locis saepe mentio fiet auctorum, quorum operibus caremus, quique nihilominus hic excitandi sunt, ut *Ingrassias* 18), *Saporta* 19), *Straus* 20), *Slevogtius* 21), *Saltzmann* 22), *Fitz-Gerald* 23), *Pohlius* 24), *Baersch* 25) *Stenzel* 26), *Schmidt* 27), *Chambon* 28) *Boudet* 29). Chemicam vero analysin tumorum cysticorum sive potius materiae varii generis,

---

8) Institutiones chirurgicae, pars prima. pag 457.
9) Cours theoretique et pratique de Clinique externe p. Cassius. Paris 1805 T. II. pag 76.
10) Essais sur les Loupes, prés de l'Academie de Chirurgie. T. IV.
11) Disser. de tumoribus. Genae 1791.
12) Cours complet de Chirurgie theoretique et pratique. T. V. p. 260.
13) Précis élementaire des maladies reputées chirurgicales. Paris 1816 T. 3. p. 411.
14) Neuestes Handbuch der Chirurgie, von Froriep. T. III. pag. 314.
15) Nosographie Chirurgicale. Paris 1806. T. III. pag. 206.
16) Darstellung blutiger heilkundiger Operationen. Wien 1814. Erster Theil.
17) Traité des maladies Chirurgicales et des Operations qui leurs conviennent. Paris. 1814. Tom. II.
18) Op. cit. (1).
19) De tumoribus praeter naturam. Lugduni 1624.
20) De Steatomatibus et tumoribus cysticis. Giessen 1682.
21) Ce tumoribus tunicatis. Genae.
22) De tumore tunicato 1721.
23) De tumoribus tunicatis. Montpellier. 1733.
24) De tumoribus cysticis. Lipsiae 1738.
25) De tumoribus tunicatis-capitis 1761.
26) De steatomatibus et tumoribus cysticis. Witembergiae 1773.
27) Disser. de atheromate manu curato. Hallas 1798.
28) Memoires sur les loupes in op. Chopartii l. c.
29) Essais sur les loupes. Strasbourg 1806.

quae in cystis illis coagmentari solet, susceperunt, perfeceruntque *Fourcroy* 30), et cl. *Thenard* 31).

FORMATIONIS THEORIAE.

Inter diversas auctorum opiniones, quae de formatione tumorum cysticorum passim occurrunt, multae satis ineptae falsaeque e disceptationis campo jam pridem exularunt, alias vero ab ipsa, morbi natura et indole prorsus recessisse, compertum est. Equidem *Ruischii* 32) theoria, quae in eo potissimum consistere videtur, ut cysticos tumores a vasorum sanguiferorum dilatatione et, postquam fluidae cruoris partes absorptae fuerint, fibrarum dispositione quadam oriri praecipiat, nonnisi tum profecto locum haberet, si admitteres quoque spurios illos *Callisenii* cysticos tumores, qui ad meras varices referendi sunt. Nec pluris certe aestimanda est ratio *Girardi* 33), qui, follicollos mucosos sive glandulas sebaceas obstructas tumoribus cysticis ortum praebere, credat, persuasus nimirum, telam cellulosam subcutaneam, frequentissimam morbi esse sedem; suamque opinionem sequentibus ille argumentis firmare conatur. 1) Si glandula sebacea sive folliculus *Morgagni* obstructus sit, membranam eius sensim sensimque, per accumulationem fluidi intus contenti, extendi atque volumine suo crescere. 2) Extracto humore omnique materia, quam illa continuerat, eandem dénuo colligi solere. 3) Accedit denique, quod tumores cystici occurrunt saepissime in iis corporis partibus, quae folliculis *Morgagni* et glandulis sebaceis abundant. Omnia quidem ista ad rem satis quadrarent, si materies tumorum cysticorum semper unius eiusdemque foret indolis atque naturae, illius sebaceae non absimilis. Praeterea vasorum lymphaticorum dilatatio principem morbi

---

30) Memoire éclairée par les sciences physiques T. II. p. 95.
31) Traité de chimie élémentaire, théorique et pratique; Paris 1824.
32) Dictionaire des sciences médicales T. 29, pag. 99.
33) Loupiologie l. c.(3) dictionnaire des sciences médicales l.c. (32).

causam efficit ideoque ad provocandos tumores cysticos maxime confert, censente *Astrucio* 34). At *Chopartius* 35), accumulationem succorum lymphaticorum sive pinguedinem, in cellula textus cellulosi existentem, ad tumorum cysticorum efformationem vel in primis convenire arbitratur, quoad naturam autem habitumque suum identidem variare illos posse monet, perinde ut major aut minor bilis, gelatinae sive cuiuscunque alii recrementi copia accesserit.

Doctrinae, quae magno temporis intervallo inter chirurgos viguit, adnumeranda est *Louisii* 36) theoria, quam deinceps *Hallerus* 37) etiam amplexus est. Nam si, ut explicare conatur ille, accedat fluidi cuiusdam infiltratio contra naturam in telae cellulosae cellulam, mox extenduntur eius parietes atque praemuntur versus membranas cellularum vicinarum, quae demum obliterantur, oriturque cystidis germen. Tumore autem magis magisque increscente cystis itidem augetur et extenditur, propter multorum membranae cellulosae foliorum mutuam cohaerentiam. E quibus facile patet, materia ibi collecta iam existat oportere, antequam involucra quaevis accedant.

Porro, theoria formationis tumorum cysticorum a *Bichatio* 38) allata, superstruitur evidenti cystidum analogiae cum membranis serosis. Quam opinionis suae basin suffulcire auctor conatur sequentibus argumentis: 1) cystides perhibet offerre sacculos haud apertos et quidem interiori parte glabros, externa vero asperos, inaequales ac floccosos. Ad hanc rem probandam offert etiam ille *Anelii* exemplum, qui tu-

34) Dictionnaire des sciences etc. ibidem (32).

35) In op. cit. (4)

36) Loco laudato (5) Richerand l. c. T. III. pag. 208. Dictionnaire des sciences médicales pag. 99. Tom 29. Cruveilhier, o. c. Tom 1. pag. 325.

37) Disput. Chirurg. T. V. pag. 383.

38) Anatomie génerale Tom 1. pag. 103. Cruveilhier l. c. Richerand. op. cit. pag. 208.

moris cystici membranam integumentis Phocae vitulinae simillimam vidisse creditur. 2) Ad illius sententiam, huiusmodi cystides constant ex membrana simplici haud multis composita laminis; cellulosam vero eius texturam exigua sanguiferorum vasornm penetrat copia. 3) Nulla sensibilitas, vitae animalis effectus, in membrana cystici tumoris observatur. 4) Denique, cystide evacuata, renascitur eadem materies, quae iam antea collecta fuit, exhalationis nimirum opere, in illius pariete vigentis. Quapropter opinatur vir cel., cysticos tumores, quotquot illi demum generibus constent, sistere plerumque membranas exhalantes, easdemque absorbentes. Nec desunt nihilominus; quae istis *Bichatii* argumentis vehementer opponuntur. Quandoquidem compertum est, cysticorum tumorum membranas nunquam unius eiusdemque esse structurae, ita ut fibrosae, cartilagineae, corneae, dermoideae passim appareant. Atheromata etiam obducuntur utplurimum membrana e multiplici folio composita, vasibus ac fibris muscularibus degeneratis praedita. Neque negligenda sunt exempla illorum pilorum, unguium, vel etiam ossium, quae in tumoribus frequenter occurrere solent 39). Omnes enim huiusmodi partes ipsius sacci formationem praecedere videntur. Quapropter optima certe habenda est sententia, quoad tumorum cysticorum formationem, ea, quae *Cruveilhierio* 40) tribuitur, quaeque in eo consistit, ut multi tumores cystici eveniant via et ratione a *Bichatio* 41) laudata, adeo ut saccus exsistat, priusquam materia inclusa sit. Nonnullorum vero capsulae formationem nucleus praecedit, inflamatione, a corpore alieno provocata, continuo adiuvante.

---

39) Chirurgische Handbibliothek von A. Cooper. und B. Travers. a. d. engl übersezt T. II. pag. 357. Tyson collect. acad. partie étrangère T. II. pag. 520. Ruisch. adser. anat. d. III. Haller. opus. pathol. pag. 105.
40) Op. cit. pag. 327 Tom I.
41) Op. cit. (38).

Itaque suae opinioni vir Cel. aptavit adaequavitque *Bichatii* et *Louisii* illas.

DECURSUS.

Jam vero cystici tumores in ipso morbi initio e parvo crescunt tuberculo, eodemque duro, mobili, certis limitibus definito, plus minusve globoso: quo quidem in stadio minime dolent, nisi alias provocent molestias: sin autem discissi illi fuerint, tunc temporis exhibent, ut *Delpechius* 42) auctor est, saccum membranaceum album, cum tela cellulosa sibi proxima copulatum, qui ceterum nullam, aut valde parvam, propter firmiorem membranarum nexum copulationemque, prae se fert cavitatem, suoque pariete interno glaber nitidusque apparet, atque exhalatione serosa tinctus. Temporis successu lente illi crescunt, adeo etiam, ut non raro vix annorum circuitu aliquod volumen acquirere queant. In nonnullis tamen corporis partibus, sicuti in dorso, scapulis atque circa clunes interdum facilius increscunt. Ex quo autem tumor adauctus, fuerit, sphericus regularis, nisi partium vicinarum dispositio conveniat ad istam illius formam quantumvis immutandam, non raro pedunculatus. Porro, tumor modo solidus tangitur durusque, quatenus cystidis involucrum tenax sit maiorique materiae solidae copia extensum; modo mollis et fluctuans, praesertim si saccus liquido cuiusdam generis perfundatur, utcunque tenuiori membrana praeditus. Fluctuatio minime locum habet, si saccus ipse densus sit, aut saltem occludat massam pultaceam; quod si accidat, tunc temporis tumoris forma, compressione applicata, facile commutatur, factaeque impressiones ope digiti magno quidem temporis intervallo sustinentur. Ceterum, quocunque modo hoc eveniat, donec tumor supra modum auctus sit, nullus dolor adesse solet, nullaeque inflammationis notae observantur;

42) Op. cit. Tom III. pag. 418.

nec minus cutis, quae illum tegit, naturalem suum conservat colorem, neque cum illo firmiter cohaeret, immo vero etiam mobilis est atque facile retrahi potest, vix ac ne vix quidem irritantur nervi, nec vasa sanguinea comprimuntur. Quodsi sedem ille figat suam eo loco, qui tela cellulosa abundat, aut quem contegit cutis, magnae cuique extensioni obnoxia, ad maximum volumen saepenumero sese attolit.

Ceterum, si tumor cysticus nullam vim externam pateretur, aut nullam iniret alicuius morbi complicationem; equidem per totam vitam subsistere posset. — Omni vero irritatione fortuita cystidis inflammatio suscitatur, eiusque paries interna subit exsudationem puriformem, tum demum cystis exulceratur 43.) aperiturque. Si exulceratio usque ad cutem vicinam propagatur, intus collectà materies emanat, paries autem sacci membranacei interna exponitur aëri, quo ipso accedens inflammatio adiacentes resolvit partes, morbumque cessare cogit, vel efficit etiam, ut cystis abeat in excrescentias fungosas, molles, dolentes, peraegre tendentes ad cicatrices.

Jllud etiam memoratu haud indignum, intra evolutionem tumorum cysticorum ossium quoque destructionem evenire, exsistente nimirum tumoris in partes vicinas compressione, cuius rei mentionem *Delpechius* in opere suo fecit 44). Ceterum differunt quoque inter se cystici tumores pro variis, in quibus sedem suam figunt, partibus: nihilominus e multis observationibus constat, nullam corporis humani partem a tumoribus cysticis omnino immunem exsistere, nisi palma manuum et planta pedum exceptis 45). Refert igitur, omnia eorum genera, inprimis ipsius sedis respectu, diligenter hic exponere.

---

43) Delpech. op. cit. (13) pag 421.
44) Jbidem. pag- 420
45) Bricheteau. dictionnaire des sciences medicales, mot loupes. pag. 87.

a). *Tumores cystici capitis* sunt, qui collocantur inter cutim et aponevrosin occipito-frontalem, spoliando capillos ipso saltem loco affecto, sive nimia integumentorum extensione id fiat, sive propter bulborum destructionem 46). Quum partem solidam obtectamque cute plus quam reliquis corporis humani locis intensa illi invadunt; tum haud ad magnum volumen certe crescere possunt, parum elevantur, magis magisque in latitudinem repentes. Quo fit etiam, ut propter istam depressam illorum figuram, testudinis illi haud multum aspectu absimilem, *testudinis* nomen illis haeserit; licet alias postremum istud illorum genus, quoad conformationem suam, inter mellicerem et atheroma medium quoddam teneat locum, saepissime pericranio fortiter adhaerens. *Phyma* irregulari quodam margine circumductum, magis elatum, ac praecedenti illo solidius, sub discisione pultaceam materiem, spissam subflavamque exhibens, *Talpa* nominatur. Cystidem tamen steatomatosam frontis *Dupuitrenius* vidisse, dicitur 47).

b). *Tumores cystici palpebrarum* freqentissime observantur suntque seroso-mucosi, vel etiam cornei, cum pultacea secretione, quae postrema tamen eorum nota rarius accidit. Palpebrae superiori magis, quam inferiori, infesti illi fiunt, nullamque peculiarem sibi sedem eligere videntur, modo in media palpebra modo iuxta commissuras. Si evolvuntur ad marginem liberum, tum inter tarsi cartilaginem et musculum orbicularem resident; sin superiori parte excrescant, insident conjunctivae palpebrarum Saepenumero tumor enascendus ad marginem cavitatis orbitae, immo in eadem ipsa 48), ita latet, ut nimis tarde ad exteriora perveniat; equidem tum premendo oculi bulbum prodit se ille muto quodam et profundo dolore, sive ad frontem vel etiam ad tempora excitabundo: nec minus divinatur

46) Delpech op. cit. pag. 431.
47) Cruveilhier. op. cit. pag. 299.
48) Scarpa Maladie des yeux. pag. 155.

ille visu progressivo aegrorum turbato sive imminuto, tum contractione iridis eiusque motu languido, donec, emenso temporis quodam intervallo, palpebram sublevando ipsumque oculum vertendo, promineat facileque dignosci queat.

c). *Tumores cystici faciei.* Compertum est, buccam, labia, linguam 49). saepius affici tumoribus cysticis, non exceptis palato atque alveolis. Sed in hoc postremo casu vix ac ne vix quidem discernuntur illi, vel propter ipsum vagum quendam dolorem superioris maxillae, qui deinde augetur atque unicuique denti infixus haeret, subsequentibus saepe *fluxionibus*, ut dicunt, seu gingivarum inflammatione. Nec raro fit, ut dente evulso extrahatur quoque simul tumor cysticus, plus aut minus voluminosus, in cuius cavitate humor quidem viscosus reperiri solet. Quo facto dolor dssipatur, atque morbus demum cessante intumescentia omnino tollitur. Accidit tamen, ut hi dolores usque ad latera capitis propagentur, ut regio molaris vel gingivarum margo tumeat, dentes ex alveolis propellantur, atque protinus dilapsi loco affecto cavitatem satis manifestam, membrana crassa aut molli investitam, relinquant. Hujusmodi casum in dentibus incisivo, canino, et primo molari, evulsis *Delpechius* 50) observasse dicitur. Jdem binis exemplis nuper confirmavit duplex periculum a cl. Adjuncto *Severino Gałęzowski*, Clinicum chirurgicum in hac alma litterarum Universitate moderante, in eum finem factum, alterum quidem militis cuiusdam evulso ultimo dente molari sinistro, alterum vero postquam agricolae cuidem penultimus ille extractus fuerat.

d). *Tumores cystici colli.* Haud raro occurrunt tumores cystici plus minusve voluminosi, qui regiones laterales et anteriorem colli partem occupant et usque ad maxillam inferiorem aut truncum exten-

---

49) Delpech. op. cit. pag. 439. Tom. III.
50) op. cit. pag. 441.

duntur. Non est illis tum ulla certa designata forma, quippe qui possunt esse compressi, oblongi, rotundi, basi larga vel pedunculata infixi, atque referri solent ad meliceres et atheromata, rarius ad steatomata seu tumores cysticos serosos 51). Nonnunquam circumscripti in corporis superficie solum inhaerescere videntur, penetrant nihilominus ac insinuant sese in interiorem telam cellulosam, truncos vasorum aut nervorum copulantem. Atqui distinguendi sunt casus tumorum cysticorum, qui, parotides iam fere attingentes, in ipsa huius glandulae substantia vel parenchymate nascuntur, eamque e sede sua removent ac deprimunt, suscitata inflammatione huius organi secundaria. Tumores ante glandulam thyroideam collocati ad magnum volumen increscere possunt; qua quidem ratione *Delpechio* 52) sese obtulisse traditur duplex huiusmodi exemplum, alterum tumoris, qui inde a basi maxillae usque ad sterni jugulum extendebatur, alterum illius, qui collum, instar cinguli cuiusdam, obvolvere videbatur, mutata simul musculorum sterno-mastoideorum positione et carotidum.

e) *Tumores cystici thoracis.* Per diversa trunci loca sparsi tumores cystici observari solent, iidemque mammis infixi ceteris grandiores saepius exstant, parietes inaequales crassasque exhibentes, nec minus dolent ac variam amplectuntur materiam, incertae plerumque naturae ac indolis. Tumores autem cystici ad scapulam, *Natta* olim appellati, praecedentibus maximam partem similes sunt.

f) *Tumores cystici abdominis* hic itidem commemorandi sunt, utpote qui inter abdominis parietes obviam fiunt, tum ad partium genitalium labia majora apud feminas 53), tum ad praeputium marium 54). Rariores tamen eorum dantur casus,

---

51) Haller. comment. Boerhavii. pag. 441.
52) Op. cit. pag. 444.
53) Cruveilhier op. cit. pag. 293. observat. Dupuitrenii.

quin specialia eornm signa diagnostica accuratius exponi possint.

g) *Tumores cystici extremitatum.* Extremitates superiores rarius quam inferiores tumoribus cysticis afficiuntur; nec tamen desunt exempla, e quibus colligi licet, eos enasci solere ad musculum deltoideum, ad faciem posteriorem antibrachii, etiam ad cubitum, ligamentum annulare, inguina, femur, genua, aut infimam pedis articulationem. Variae autem illi possunt esse naturae, atheromata videlicet, steatomata, aut melliceres.

h). *Tumores cystici interni.* Quos hactenus recensui tumores cysticos, ii externi sunt, praecipuum huius disputationis argumentum efficientes. Ne tamen silentio praetermittamus aliam eorum seriem, quae tumores internos, quoad naturam ac indolem illis profecto simillimos, complectitur; pauca de his quoque moneamus opus est, collatis virorum doctorum annotationibus.

Non est certe locus interior in corpore humano, in quo tumores cystici reperti non fuerint. Etenim in cerebro eos, modo praevia sanguinis ininfiltratione, latentes, persequuti sunt *Riobbe*, *Vallerand*, *de la Fosse*, *Rayer*, *Recamier* 55), modo a causa minime nota exortos, *Marrat* 56) *Lieautaud* 57) *Pinel* 58): itidem illos reperiebant, in oculo *Lecat* 59), in pectoris cavitate *Haller* 60), in pericardio *Senac* 61), *Dupuytren* 62), intra peri-

---

53) Cruveilhier op. cit. pag. 293 observat, Dupuitrenii.
54) Jbidem. pag. 301.
55) Cruveilhier op. cit. pag. 210.
56) Medico - chirurg. transact. vol. II.
57) Observat. IV. (1).
58) Cruveilhier. op. cit. pag. 300. (Cystis fuit meliceris.
59) Traité des sens. Tom. II. pag. 155.
60) Op. patholog. obs. 12.
61) Opus. lib. 6. Cap. 5. pag. 34.
62) Journal des Médicins. M. Coroisart. le Roux. Boyer. Frimaire. au 11.

tonaeum et musculos abdominales, *Tulpius* 63) *Vandervield* 64) *Ledran* 65) *Morand* 66), in ovariis *Recamier*, *Cruveilhier* 67), *Frankmann* 68, in tubis Fallopianis *Blancard* 69), in utero *Guillemeau* 70), *Fabricius Hildanus* 71), *Devilliers* 72), in hepate *Bricheteau* 73) *Morgagni* 74), in renibus *Bonet* 75), in testiculis et funiculo spermatico *Henkel* 76), *Ledran* 77), in ligamento rotundo *Lallemand* 78). Attamen singulorum eiusmodi tumorum. ut modo monui, nec symptomatologiae, neque diagnoseos in hacce disputatione rationem habebimus: quandoquidem utraque satis ambigua fit, nec ad propositum, quod aggressus sum, congruere videtur.

D I V I S I O.

Permultae auctorum opiniones de tumorum cysticorum formatione in causa certe sunt, ut multifariae fiant morbi divisiones. Nonnulli tamen inter viros cll:, nullam scholasticam admittendo corporis molestiarum classificationem, cystides ita describendas curaverunt, quasi illae, ad unam omnes, unius eiusdemque essent naturae ac indolis: qua ratione hic excitandi sunt *Desaultius* 79), *Lassusius* 80),

---

63) Obs. med. cap. XLIV. lib. IV.
64) Obs. rar. anat. Tom. II. obs. 27.
65) Acad. Chirurg. Tom. VI.
66) Opusc. Chirurg. pars altera pag. 178.
67) Opusc. cit. pag. 275.
68) Satyrae med. pag. 44.
69) Anat. practicae rationalis. cap. LXI. pag. 98.
70) L'heureux accouchemens. L. I. chap. I.
71) Obs. Chirurg. Cent. II. obs. I. V. I.
72) Journal de medic. Tom. XLIII. pag. 268.
73) Dictionnaire des sciences médicales. l. c.
74) Epist. XXXVII. No. 2.
75) Sepulchret. lib. 2. Sec. I. obs. XVII.
76) Pott. op. chirurg. Tom. I. pag. 64. — 71.
77) Op. cit. Tom. II. pag. 155.
78) Cruveilhier. l. c. pag 292.
79) Op. cit. pag. 77. Tom. II.
80) Op. cit. pag. 379. Tom. I.

B. Bellius 81), *Richerandius* 80), *Cooperus* 83), quorum commentationes licet angustis finibus contineantur, non minus tamen lectu dignae sunt, multumque ad rem indagandam conferre possunt. Alii, cum discrimen tumorum in notis minus veris ac certis posuissent, falsas proposuere divisiones, easque prorsus inutiles ac repudiandas. Jtaque *Heistero* 84) placuit, omnes cysticos tumores dispescere *in veros et completos, tum spurios et incompletos. Veros* ille censet esse, quorum cystides integra et undequaque clausa gaudent capsula, *spurios* vero, quorum sacci pervii manent, aut saltem communicationem quandam, eius, e quo ipsi evenerunt, canalis ope, inter se conservant. Ac primae illi classi, quae cysticos *veros* tumores amplectitur, annumerat ille:

1) *Lupiam*, quae cystis est materiem spissam ac solidescentem comprehendens, quaeque ab illo dividitur, in

a) *Atheroma*, i. e. cystis concrementum pultaceum gummosum continens.

b) *Melicerem*, cui succus inest mellis consistentiam quodammodo prae se ferens.

c) *Steatoma*, cystis sebo sive pinguedini animali simili materia impleta.

d) *Osteosteatoma*, cujus materia ossea est.

2) *Hygroma*, quod est tumor cysticus verus, solitarius, conglobatus, e liquido seroso, lymphatico, in sui ipsius saccum congesto, constans.

3) *Hydatides*, quas sistunt tumores cystici congregati, iidemque vesiculati, rotundi vel etiam ovariae formae magnitudinisque, liquore seroso lymphatico, nonnunquam alias quoque hydatides continente perfusi, turgidi, modo petiolis, uvarum instar, cohaerentibus similes, modo, sed quod rarius fit, libere fluctuantes, in diversis certe corporis humani

---

81) Op. cit. Tom. V. pag. 295.
82) Op. cit. Art. loupe. pag. 212.
83) S. Cooper's Handbuch der chirurg. etc. O. Z. pag. 314.
84) Op. cit. Tom. pag. 95.

partibus, ut tela cellulosa, musculorum interstitiis, cavis maioribus, visceribus variis, sicuti cerebro, pulmonibus, canali alimentario, vesica urinaria, utero, vel etiam ovario reperiundi.

Ad calcem vero suae descriptionis tumorum modo relatorum, tanquam speciales eorum ordines, auctor subjunxit *ganglion* et *ranulam*.

Jam in secunda classe, quae continet cysticos tumores spurios, praestantiores ille enumerat:

a) Anevrysma verum, b) varicem, c) mariscam. At facile quisque intelliget, priorem solummodo illam tumorum cysticorum classem, a *Heistero* confectam, certiori quodam fundamento ipsiusque morbi naturae satis congruenti superstructam esse, exceptis tantummodo ganglio et ranula, quod utrumque ad aliud morborum genus referendum sit. Posteriorem classem huius generis morbos minime respicere, nullus certe infitias ibit, quandoquidem plane contrarium naturae est ideoque falsum, anevrysma, varicem et varicocelen cysticis annumerare tumoribus.

Jam vero diversa morbi sedes, quae in diversis corporis humani partibus evenire potest, effecit, ut cystici tumores distribuerentur tum in internos, cavitates maiores corporis sive organa interna occupantes, tum externos, qui ad capitis regiones visibiles, item per truncum, abdomen et extremitates obviam fiunt. Jnde varia illorum nomina specialia derivanda sunt, v. c. *Testudo*, tumor capitis compressus basi rotundae insidens, *Talpa*, margine irregulari assurgens, *Natta*, tumor scapulae idemque saepissime maioris voluminis. Ceterum ista illorum distinctio nec multum ad diagnosin morbi stabiliendam confert, neque in eo curando admodum utilis esse videtur.

Enimvero exstat cystidum classificatio, quam *Delpechius* sibi vindicat, praecedentibus multo certior maiorisque pretii, tam in morbo dignoscendo, quam in auxiliis ei ferendis. Equidem, *Delpechio* auctore 85), cystides ipsae seu potius membranae,

85) Op. cit. pag. 425.

quae tumores obducere solent, horum certissimum declarant characterem: quam ob rem, pro diversa earum fabrica diversas quoque cysticorum phymatum classes fieri jubet ille, minus quidem occupatus conditione ac statu internae materiae, quae in illorum cavitate accumulatur: ac in genere sequentes vir cel. distinxit cystidum species.

1) *Cystides seroso-mucosae*, quarum paries interna tomentosa apparet, eademque pilis plus minusve longis aut contortis saepenumero consita, qua humor mucosus continetur.

2) *Cystides corneae*, quas munire solet membrana tenuis ac solidescens eaque haud pellucida, in interna facie sua inaequalis, ipsae vero continent variae conformationis materiam, pultaceam albam aut flavescentem, non raro pilis intermixtam. Ad hoc genus referenda sunt atheromata, steatomata et melliceres.

3) *Cystides albuminosae*, quarum nonnullae constant e multis stratis, quodammodo secum cohaerentibus, iisdemque externis fibrosis ac perfectiorem organisationis gradum prae se ferentibus, internis vero fere in albumen dissolutis: at materies, intra sacci cavitatem delitescens, albuminosa est aut gelatinosa.

4) *Cystides fibro-cellulares* parietibus crassis densisque, nonnunquam ossificatis, praestant, materiem vero intus receptam exhibent serosam vel etiam sanguinolentam.

Ad hanc modo enarratam divisionem proxime accedunt a *Cruvelhierio* et *Bricheteau* laudatae. Horum etenim uterque opinatus etiam est, fabricam sàcci membranacei in classificatione tumorum cysticorum instituenda multo maioris esse momenti, quam ipsius materiae intus susceptae naturam ac indolem.

Primo igitur, ad theoriam a *Cruveilherio* 86)

---

86) Op. cit. l. c. Dictionnaire des sciences médicales.

positam, cystides distribuuntur uti iam supra monuimus, in duo genera, alterum *cystides consecutivas* compraehendens, *praeexistentes* alterum. Equidem priores, quae etiam *secundariae* appellantur, tum evolvuntur circa sanguinis grumum effusum e quolibet vase sanguineo, extremitatum, cerebri 87) aut abdominis 88) illo, tum circa globos plumbeos accidunt iis, qui arma gestant 89), deinde fiunt circa calculos vesicae 90), aut circa foetum in graviditate extra uterina, circa hydatides 91). Ad cystides vero spontaneas sive praeexistentes, referendas censet auctor:

1) *Cystides serosas* pariete pellucida, vel etiam opaca, aeque cum tela adiacente coniuncta, aut libera, munitas, in cerebri cavitatibus, plexu choroideo, renibus, hepate, pulmonibus, obvias; quae tamen hoc sibi proprium habent, quod non cohaerent cum partibus proximis.

2) *Cystides synoviales*, liqvido quodam limpido, sinoviae simili, praestantes, cystide vero ab exteriori parte sua densa, fibrosa, eadem intus serosa, circa capsulas sinoviales insidente.

3) *Cystides melicericas, atheromatosas, steatomatosas*, cystide crassa membranacea, saepius e laminis composita, cellulosa, materia melli simili, pastacea aut sebacea, munitas.

4) *Cystides oleosam, mucosam* seu *gelatineam*

---

87) Guersaut. Cruveilhier op. cit. pag. 207.
88) Carrangeot, Memoire de l' Acad. de Chirurg. vol. XVIII.
89) Morgagni Epist, 27. No. - 28. Bayle, Phtysie pulmonaire. pag. 93. - Broussais Phlegmasies chroniques. Tom. I. pag. 398 - Langlet, med. surg. Trrnsact. vol. II.
90) Houtel. acad. chir. Tom XI. Littre. acad. royale des sciences Paris 1702. Franco traité de la taille par Dechamp. Tom. I. pag. 63. Monro. Sss. d'Edimbourg. Tom VI. pag. 287.
91) Jnter alios. Plater. obs. solect. pag. 44. Guatani de externis anevrismat. Romae 1772. pag. 109. Stalaler. - opus. patholo. obs. XL.

materiem continentes, pariete fibrosa, nonnunquam ossificata, muco, aut materia oleosa vel etiam gelatina impleta, ad palpebras inguinaque observanda.

5) *Cystides* corpuscula alba exhibentes, de quibus clarior et accuratior notitia *Dupuytrenio* 92) merito debetur, quippe qui in decem sibi obviis observationibus sequentia de iis adnotavit.

a) Exsistere tumores cysticos, e corpusculis albis compositos, inclusos vero capsula tenui cellulosa.

b) Proprios esse illos omni vitae periodo, atque semper a distensione partis vel pressione oriri.

c) Sedem suam frequentissime figere ad carpi rarius tarsi articulationem, semper autem circa tendines et synoviales capsulas.

d) E duplici sacco, qui in media sua parte constrictus vulgo est, illos fieri. Praeterea subjicit auctor, corpora illa alba facultate quadam vitali esse praedita, quam tamen eius opinionem *Boscius* acute redarguit, declarans nimirum, illa non modo ipsa per se nullum motum nullumque evidens vitae signum exhibere, sed ne microscopio quidem adhibito ullum oris punctum aut saltem poros suctorios offerre, immo in membranam pellucidam facile abire: cuiusmodi observationibus experimentisque suis, quae *Dumerillii* quoque plerisque confirmata fuerunt, satis probare videtur *Boscius*, corporum illorum naturam mere albuminosam esse.

Haec tumorum cysticorum in species modo enarratos distributio recepta est *a Bricheteau* 93) adiectis etiam, quae sequuntur.

a) *Cystides dermoideae* vel *cutaneae* quarum habitus cutis illum referre videtur, quaeque non raro pilis intus consitae reperiuntur.

---

92) Memoire de l'Academie des sciences. - Journal. de Médécine. Chirurg. et Pharmac 1813 8bre. L'Academie Royale des sciences. pag. 27. - Bibliotheque Médicale. vol. XI, III. Cruveilhier. op. cit.

93) Dictionnaire des sciences. méd. l. c.

6) *Cystides cartilagineae*, a *Portalio* et *Bellio*, tum cystides osseae seu ossificatae, a *Cruveilherio* et *Brichetcau* observatae atque descriptae.

Praeter has, reliquae omnes, quae adhuc exstant tumorum cysticorum classes ac divisiones, quum ad morbum dignoscendum parum conferant aut plerumque falsae sint, silentio praetermittendas puto.

CAUSAE.

Jam vero perlustratis quoad eius fieri possit morbi symptomatibus eiusque sede ac varia divisione, praecipuum sane est, ut ad instituendam illius diagnosin accedam. Ne tamen cuicumque mirum videatur, me causas illius, in omni certe corporis aegritudine indaganda tanti faciendas, nondum esse persequutum; paucis saltem moneam oportet, eas aut ambiguas incertasque aut prorsus ignotas esse, quod vel ex diversa auctorum de iis opinione colligi licet. Nam, ut praeteream antiquiores scriptores, qui accuratiore morbi notitia caruerunt, in primis *Callisenius* 94) arbitratus est, tumores cysticos malum constituere acquisitum, interdum haereditarium, naevi speciem praeseferens. Quodsi unicus sit tumor, vitium sistit locale, a quacumque iniuria externa, contusione, irritatione, oriundum, quamvis c terum causae istae, raro observetae fuerint; tum universale vitium inculpandum est, quum plures tumores, in variis corporis partibus dispersi, aut congregati obviam fiunt, in quo casu identidem diathesin rheumaticam, arthriticam, veneream aliamque suspicari licet. Ac de tumoribus cysticis criticis haec solummodo auctor asseruit: „Quid? quod interdum cystides critici observantur." nulla eorum tradita doctrina, in primis respectu eorum originis, aliarumve rerum, quibus circumstantibus ii obtingunt, nisi forte pro criticis consecutivas cystides

---

94) Op. cit. Tom. II. pag. 85.

eum habuisse dicas, ad eliciendas e corpore alienas quascumque partes tendentes.

Haud absimili ratione deinceps *Desaultius* 95), causas tumorum cysticorum in externas et internas dispertiens, illis quidem adnumerari iubet, contusionem, retentionem partium haeterogenearum, his autem vitium venereum, scrophulosum, aliaque. Denique *Delpechius* 96), causas, de quo agitur, morbi omnino ignotas esse censet—„on ignore, eius verba sunt, absolument, les causes d'alteration organique, qui nous occupe; on sait seulement qu'elle se multiplie souvent d'une manière bien rémarquable sur le même individu, ce qui pourroit faire supposer l'existence d'une cause générale."— Qua de re, utut ea in capite hoc manca sit atque exigua, ut plenius agere videar, etiam haec celeberrimi Franko-Gallorum scriptoris *Bricheteau* 97) subjicere lubet. „Que d'opinions diverses j'aurais à réfuter, si je devois exposer toutes les idées des auteurs, sur la cause première des tumeurs enkystées! Que de théories arbitraires et quelquefois absurdes à combattre. En générale les causes des kystes sont fort peu connues, il n'est pas même de maladie, dont l'aethiologie soit plus imparfaite."—

DIAGNOSIS.

Priusquam ad perfectam morbi cognitionem perveniamus, id semper in animum inducere debemus, hoc loco tumores cysticos externos, tanquam morbum inter Chirurgiae limites positum tractandos fore, quandoquidem internorum diagnosis, utpote satis ambigua, complicata intellectuque perdifficilis, in exigua disputatione inaugurali haud facile suscipi poterat.

Ut tumores cysticos adesse suspicemur, signa

---

95) Op. cit. Tom II. pag. 77.
96) Op. cit. pag. 113.
97) Dictionnaire des sciences. méd. pag. 95. L.

hic superius enarrata equidem sufficiunt. Praeterea tamen maxime interest, ut eum morbum a pluribus ceteris, quibuscum facile confundi potest, diligenter discernas. Nullus profecto chirurgus, pro cystico quovis tumore pure accipiet intumescentias scrophulosas aut oedema locale cuiuscumque partis; sed hoc tandem negari nequit, quod scyrrhus, sarcoma vel lypoma, morbum istum frequenter simulare possunt. Quod ut evitetur, quoad scyrrhum, sequentem tabulam, veluti comparationis discriminisque ducem, ante oculos perpetuo habere possis.

TUMOR CYSTICUS.	*SCYRRHUS.*
1) Mobilis est atque ad latera sua facile deprimendus.	1) Basi sua partibusque supteriacentibus magis adhaeret.
2) Temporis progressu rarissime suppurationem admittit, nisi irritatio quaedam illata sit, praevia contusione vel compressione.	2) Ocyus aut serius sua sponte aperitur, ichorem pessimi odoris emittit.
3) Suppurationis opere tandem imminuto seu soluto ipso tumore, morbus facillime tollitur.	3) Exorta illius dissolutione partes proximae continuo dolore vexantur visque morbi augetur.
4) Facta operatione, exstirpationem puta, vulnus cito sanatur rarissime autem eodem loco tumor renascitur.	4) Ablato scyrrho saepissime morbus resuscitatur et recrudescit.

Quod vero spectat ad sarcomata atque lipomata haec non nisi in ipso initio morborum cum cysticis tumoribus possint commisceri confundique; nam in stadio perfectae evolutionis, omne iam discrimen, quod inter haec illosque perpetuo intercedit, evidens fit, comparatisque tunc temporis exstantibus illorum genuinis characteribus notisque, unum ab altero facili negotio distinguitur.

Enimvero, quae hucusque a me exposita sunt, ea profecto spectant ad generales diagnoseos tumoris cystici cardines. Quum tamen multum sane differat ille, secundum diversam in corpore humano sedem suam, ac alios sensim sensimque induat characteres, opere pretium est, percensere singula quoque momenta diagnostica, atque explanare cystidum similitudines cum aliis molestiis morbisque, unum quemdam locum efficientibus. Hi tumores cystici partis capillatae capitis facile pro hernia cerebri accipi quidem possunt; qua tamen occurrente ossis iacturam inevitabilem fieri ipsiusque morbi efformationem praecedere, satis superque constat. Accedit, quod tumor iste ad latera non dimovetur, compressus turbatione sensuum stipatur, motus cerebri particeps fit ac frequentissime producitur a vulnere capiti inflicto; quum contra cysticus tumor saepissime mobilis est, compressionis vi illata non turbat cerebri functiones, ac vulgo provocatur a causa utplurimum ignota, os autem immune remanet. Praeterea cysticus capitis tumor pro hydrocephalo externo 98) declarari, morbusque tunc temporis pro incurabili haberi potest. Sed differt a se invicem utrumque hoc malum genuinis signis et symptomatibus alterutri propriis.

Nec minus, tumor cysticus ad collum seu ante glandulam thyreoideam sive ad regionem jugularem, eveniens, confundi potest cum struma, parotide, tum cum glandularum salivalium scyrrho, tum etiam cum carotidis anevrismate. Attamen diligentior glandulae thyreoideae, intactae in suoque statu naturali, exploratio, probe sufficiet ad discernendos istos morbos: parotidis autem inflammatio sive induratio scyrrhosa distinguitur secretione salivae turbata, aut plane suppressa, febre consensuali, doloribus lancinantibus, nec minus suppuratione aut exulceratione cancrosa, omni curationi haud cedente. Jam quoad illud attinet, quod cysticus tumor cum anevrismate commisceri con-

---

98) Flajani. obser. pract. Romae 1791. pag. 198.

fundique solet, perpetuo animadvertas oportet, nullam in priori illo exsistere vibrationem, arteriarum illi similem, quae in hac posteriore compresso vasorum trunco evanescit, mox ablata compressione redit. Praeterea diversae trunci, abdominis et extremitatum intumescentiae externaeque aegritudines, sicuti abscessus, herniae, vitia conformationis, huiusmodi tumores frequentissime simulare possunt, quas si accurate percensere velles, omnia certe earum symptomata pathognomonica singillatim forent enarranda, quod tamen vel opellae huius fines prohibent nec facile unquam fieri posse videtur.

Postremo nunc loco superest, ut rationem dignoscendi varias tumorum cysticorum species paucis exponamus. Itaque *steatoma* in genere praestat soliditate quadam, durum est atque sub cute facilius moveri potest, quam reliqui huiusmodi tumores. *Atheroma* molle est, comprimi patitur, nullamque fluctuationem exhibet. *Melliceres* contra liquore quodam perfusum videtur, eodemque seroso, sub digito palpante, facile caedit. Verum tamen hoc loco monendum est, omnes modo enarratos characteres notasque ad bene discernendas tumorum cysticorum species haud plane sufficere; etenim *steatoma*, certis occasionibus datis, multo mollius deprehendi solet, ac sub digito tanquam tumor quidem materia purulenta densaque cumulatus apparet; humor atheromatosus et melicericus in unum eundemque saepe effunduntur tumorem, cuius altera pars mollis est ac pastacea, altera vero evidenter fluctuat.

PROGNOSIS.

In genere de cysticis tumoribus hoc asseverare fas est, quod ii rarissime periculosi evadunt eorumque permulti per totam vitam aegros detinere queunt, quin minima his inde alia creetur molestia, praeter quampiam partis difformitatem, quae ceterum, dum appareat, modo operculo quodam, modo vestitu opportuno facile celari possit. Verum tamen, quoties phyma voluminosum redditum fuerit, proti-

nus multum incommodi afferet, tum pondere suo corpus onerans, tum demum actionem organorum, quibus insidet, turbans aut laedens 99). Nec minus irritatione externa augetur nocua vis tumoris eoque magis, si ex inflammatione inde oriunda accesserit suppuratio vel exulceratio maligna. Etenim saepenumero fieri solet cancrosa partium errosio, haud facile placanda 100).

Variat quoque prognosis tumoris cystici, pro varia eius sede: nam qui occupant corporis partes aut motui exercendo, aut peculiari cuicunque functioni persequendae minus destinatas, ii tumores multo minoris momenti certe sunt, quam ii, qui, opprimendo vasa sanguinea aut nervos sibi proximos, horum actioni liberae ac naturali officiunt ac ne operatione quidem facile prompteque tolli possunt. Quam ob rem cystides scapulae, dorsi, clunium seu extremitatum sanatu faciliores putandae, quam, quae regionem colli, palpebrarum, mammarum, inguinumque tenent. Ceterum ii tumores, qui lente evolvuntur, exigui, duriusculi, circumscripti, mobiles, facilius exscindi solent, quam grandiores, fluctuantes aut cum vicinis partibus concreti. Nam in postremo hoc praesertim casu non raro fit, ut huiusmodi tumorum, penitus exstinguendorum, sub operatione sibi adhaerentes particulae quaedam remanent, id quod morbi regenerationi quam maxime favet.

Praeterea tumorum etiam magnitudo haud parvi profecto aestimanda est: quandoquidem grandiores frequentissime cum reliquis corporis partibus concrescunt operationemque aegre ferunt, licet alias nulla methodo leniori tractari mereantur. Accedit, quod sub ipso exstirpandi opere haemorrhagia erumpens difficile supprimitur, tum propter maiorem vulneris spatium, tum etiam propter extensionem vasorum a compressionis vi oriundam.

---

99) Richerand. op. cit. pag. 212.
100) Bricheteau l. c. pag. 105.

Ex omnibus autem cysticorum tumorum speciebus in maximo discrimine steatoma versari creditur 1), quippe quod ceteris grandius fit ac velocius in cancrosum abire solet malum, quam melliceres et atheroma.

CURA.

Quum in eo iam simus, ut morbi tractandi viam rationemque quaeramus, in primis tenendum est, eam diversam fieri pro diversa ipsorum tumorum specie, tum quoad formam eorum externam, tum quoad nexum cum proximis partibus, tum etiam quoad eas partes, quibus sedem suam illi figere solent. Enimvero quovis respectu auctores aptam idoneamque excogitavere therapiam, modo medicamentorum solventium ope persequendam, modo chirurgi manu instrumentis munita.

Quomodocunque res se habeat, equidem omnes tumorum cysticorum curandi rationes ad sequentes reduci posunt: *1, Resolutio, 2, Inflammatio*, ac inde orta cystidis obliteratio, *3. Suppuratio*, qua cystis destruatur; *4, Ligatura; 5, Excisio*, tam *universalis*; quam *partialis*, sive *amputatio.* Quaenam vero ex istis praeferenda sit, e singularum diligentiori pervestigatione demonstrabitur.

1) RESOLUTIO.

Haec tumores cysticos medendi via et ratio in eo in primis consistit, ut, quocunque modo suscitata vasorum lymphaticorum actione, humorem, quem comprehendunt, extrahendum exstinguendumque cures atque tunicam externam tollas. Cuius tamen methodi effectum opportunum fieri posse non nisi in tumoribus recentibus, mollibus, haud voluminosis, humore fluido impletis, vasorum lymphaticorum vi nondum

---

1) Heister l. c. pag. 458. — B. Bell. l. c. pag. 262. — Lassus. op. cit.

exstincta neque diminuta. *Delpechius* 2) hanc methodum prorsus repudiari jubet, discriminis plenam esse ratus adeo etiam, ut, quae ab auctoribus tradita sunt exempla, quasi cystides ad patellam aliaque loca resolutae fuissent, ea aut falsa exsistere aut ad curam tumorum sinovialium referenda sibi videantur. Quam opinionem amplexus est quoque *B. Bell* 3), cuius satis nota sunt haec: „Les auteurs conseillent de tenter d'abord de guérir les tumeurs enkystées par la „resolution; et quand ce moyen ne réussit pas, ils veu„illent qu'on les extyrpe. Les practiciens de nos „jours ont néanmoins toujours recours á ces derniers „moyens, et ne comptent pas sur les frictions avec „les onguents mercuriéux, ni sur les emplatres gom„meux, et autres topiques que l'on a recommendés, „dans l'idée de parvenir á resoudre ces tumeurs."— Ceterum praeter alias, plus minusve a se discrepantes, scriptorum de hac re sententias, quas singulas secum conferre nec huius loci est nec temporis, *Heisteri* 4) opinionem contrariam supra allatis huc adducere lubet, his verbis expositam." Non equidem, inquit, sum nescius, esse inter chirurgos quam plurimos, qui sine mora singulos tumores tunicatos ferro excidendos praecipiant, sed nolim tam, juxta *Hippocratis* praeceptum, mitiores curandi rationes penitus hic praetermitti. Quoties enim vel recentes adhuc tumores, vel molliores etiam noxis istis laborantes homines sunt, consultum utique videtur, aut resolutionem aut arte suppurationem prius tentare, quam a ferro praesidium petatur." Deinde resolutionem non raro opportunam fieri censet *Callisenius* 5), cuius sententiae adhaesit etiam *Boyerus* 6), pariter atque *Lassusius* 7) et *Richerandus* 8).

---

pag. 381. Tom I.
2) Op. cit. pag. 422.
3) Op. cit. pag. 267.
4) Op. cit. pag. 459.
5) Op. cit. pag. 89.
6) Op. cit. Tom II. pag. 413.
7) l. c.
8) l. c.

Quae cum ita sint, postmodum interest, ut, quae ad istam resolvendi methodum necessaria requiruntur, ea huc referam. Imprimis ad excitandam vasorum lymphaticorum actionem auctores praecipiunt compressionem tumoris cystici. Equidem *Ambrosius Paraeus* 9), quum a se adhibitae primum frictiones ad solvendum tumorem irritae fuissent, digitis eum comprimi adque praerumpi jussit. Cuius rei persequendae rationem, ut tumor cysticus opportune dissolveretur, casus quidem, sive lapsus fortuitus in partem affectam, sive contusio aliqua, obtulisse creditur. Sunt, qui etiam tumoris velamentum illud sive cystidem, sic apellatam, frustulo ligni scabro deteri destruique quodammodo velint, ipsoque vulneri tabulam metallicam applicari, fortiter eam corpori admovendo. At in genere monendum est, omnes eiusmodi compressiones externas convenire solummodo iis tumoribus, qui tenui constant cystide, materiaeque non nimis magnam copiam continent; in steatomate vero, in primis tum, quum cutis exterior liberam eius distensionem impedire videtur, noxias illas esse perpetuoque evitandas, ne scilicet tumor, qui alias haud periculosus fiat, subita praeruptione aut contusionis vi in quasdam mali indolis excrescentias, aut in merum cancrum abeat.

Deinde, permulti auctores, inter quos *Munniks*, *Barbette*, *Fabricius ab Aquapendente*, *Scultetus*, *Hoffmannus*, *Gauthierus* aliique numerandi sunt, multiplices affere solent observationes in omnes in genere tumores, ne tunicatis quidem exceptis, quorum dissolutio tantummodo remediorum resolventium usu externo facta esse tradatur 10). In eumque finem ingens medicamentorum copia laudatur. *Denis Pomaret* 11), cum optimo successu in usum convertisse perhibetur cataplasmata ex Rumice acuto in cineribus tosto, alii vero Cyclameris Europeae in hac re munus praestare credunt, snnt denique, qui maiorem vim tribuere

9) Op. cit. pag. 267.
10) Dictionnaire des sciences l. c.
11) l. c. pag. 207.

soleant cucumeri, oleo scorpionis, emplastro cicutae, emplastro *de Rustanig*, *de Vigo* simplici vel etiam mercuriali juncto. *Chopartio* autem contigit efficere tumoris resolutionem adhibitis cataplasmatibus ex herba et radice Bardanae una cum quaternis farinis resolventibus, nec minus ipso dyachylo simplici.

Porro maior vis passim tribuitur frictionibus e diversis substantiis, quae resolventi robore pollent. Itaque *Munniks* salivam, multi alii hoc respectu laudarunt balsamum peruvianum, tincturam assae foetidae, sagapenum, opponacem, vinum antimonii, oleum therebinthinae, sal cornu cervi, fel taurinum: hisce et electricitas adnumeratur. *Cavallier* emplastrum composuisse dicitur ex emplastro *de Vigo* mercurii, sale, gummo ammoniaco et marubii foliis; quae tamen omnia etiamnum satis incerta esse nullus negabit 12).

Denique magis idoneae forte sint, quae in primis a *Louisio* et *Chaupartio* 13) praecipiuntur, fumigationes ex ammoniae in aceto, tum, quae a *Boyero* 14) laudantur, compressiones, cum simultanea applicatione solutionis muriatis ammoniae, qua apparatum deligatorium humectari ille jubet: *Valsalva* et *Morgagni* 15) resolutionem tumoris cystici palpebrarum assequuti esse dicuntur lotionibus ex aqua florum sambuci cum spiritu salis ammoniaci commixta.

Ceterum, omnium auctorum opiniones eatenus saltem conveniunt, ut inde colligi possit, huiusmodi curationem tumorum cysticorum, quamvis ea unum alterumve effectum prodidisse videatur felicem, nun-

---

12) Callisen. pag. 9. „ dicta discutientia, eo securius adhibentur, cum phlogosis inde inducta, haud raro salutarem effectum edat. Haud diffitendum tamen longe frequentius solutionis tentamen in brutis quam in hominibus succedere, neque sympathiae vires in resolvendis lupiis plane reijcienda esse, multiplex experientia docuit.

13) Encicclopedies. verb. enkysté.

14) Traité des mal. chirur. et des oper. qui leurs convieunent, Tom. II. pag 413.

15) Ibidem. pag. 413.

quam tamen morbum penitus tollere posse, quum tumor ocyus seriusve redire soleat. Quo fit, ut illa remedia localia non aliter forte vim suam exerceant, quam quod partem affectam adstringant.

2) *INFLAMMATIO.*

Saepenumero Chirurgi cupiunt ideo producere cystidis parietum inflammationem, ut, assecuta earum pleniori adhaesione, praecaveatur vel ipsa materiae internae collectio. Setaceum autem et injectiones stimulantes efficacissima sistunt media ad cystidum phlogosin suscitandam.

a) *Setaceum.* Haec agendi ratio a nonnullis auctoribus vituperatur, a multis vero admodum laudatur. Nullam quidem setacei mentionem reperire possis in operibus *Heysteri*, *Callisenii*, *Boyeri*, *Richerandi*, *Dessaultii;* certis tamen occasionibus datis illius usum praecipiunt *Lassusius* 16), *B. Bellius* 17), *Bricheteau* 18). Instrumenta vero ad istam operationem persequendam necessaria haec sunt: scalpellum cum acie simplici, acus pro setaceo ita apellata, specillum sulcatum, teniola e linteo marginibus carptis. Jam quoad ipsum opus attinet, modo bina setacea ad crucis figuram plicantur atque per basin tumoris traducuntur, modo unicum et simplex eum in finem sufficere potest. *B. Bellius* 19) etiam admonet, ut setaceum per apicem tumoris usque ad huius basin penetret, quo facilius materiae intus collectae evacuationem provocare queat. Quodsi chirurgus in operatione scalpello uti velit, tunc factis binis exiguisque incisionibus ad basin tumoris, per totam eius extensionem traducit sondam canellatam acuminatam, ac denique scalpello aperit viam teniolae transmittendae, idque acus obtusae opera. Sin usum acus pro seta-

---

16) Patholog. chirurg. l. c. p. 380.
17) Op. cit. pag. 260.
18) Dictionnaire des sciences etc. pag. 108.
19) B. Bell. pag. 266.

ceo praeferas, tumor prope basin altera manu comprimendus quodammodo est, atque altera manu opus est, trajicias instrumentum per illius substantiam. Quo citius opera procedat, teniolam irritante quovis pharmaco imbuere possis, modo unguento Aegyptiaco, modo Basilico simplici, aliquantum pulveris cantharidum admiscens. Itaque immissa teoniola relinquitur in tumore per quoddam temporis spatium pro maiori aut minori ipsius sacci crassitie, in genere tamen, praesertim si membrana tenuis apparet, quinque aut sex dies sufficiunt, ad illius inflammationem provocandam. Quoties intus delitescens materia fluida sit, eius evacuatio introductionem acus aut teniolae mox excipere solet; quoties illa spissa appareat, magno certe temporis intervallo opus est, donec illa penitus inde evocari possit. Quum vero cystis, ut par est, irritata atque iam evacuata demum exstiterit, tunc temporis corpus illud alienum, quod illam penetraverat, extrahas, parietum vero mutuam cohaerentiam compressione tumoris gradatim augendam adjuves, oportet. Atqui setaceum minime convenire opinatur *B. Bellius* in omni quidem casu, quo materia tumoris interna admodum spissa cernitur; ideoque satius ipsi videtur tunc temporis sacci excissionem tentare.

b) *Injectiones irritantes.* Si, ad *Bichatii* sententiam, verum certumque esset, similitudinem quandam inter cystidis membranam illamque serosam perpetuo exsistere, tum sane sperare liceret, fore, ut injectionibus irritantibus in usum vocatis, cohaerentia illa parietum membranae obtineri posset. Attamen multa eum in finem facta pericula haud semper eosdem prodidere effectus. Equidem *Chopartius* 20), se se aegrum curasse narrat, postquam steatoma ovi gallinacei magnitudine ad basin aperuerat, eiusque ostio aliquanto dilatato materiam internam inde evocaverat, injectionibus aquae tepidae cum spiritu vini rectificato. Minime tamen eandem fere medendi vi-

20) Op. cit. pag. 112.

am ac rationem sibi suffecisse in steatomate partis lumbaris sinistrae candide ipse fatetur. *Richerandus* 21) quoque injectiones irritantes quam maxime convenire censet, et hoc iudicium eius profecto iustum est, praesertim in eo casu, quo materia in tumorem congesta liquida est, facileque effundi potest per canulam, qua in hydrocele curando a Chirurgis usurpatur, qua etiam perficitur tumoris punctura. Quoties materia densior appareat, diluitur ea injectionibus ex aqua tepida, exceptis tantum casibus effor-mati tumoris cystici paene solidi. Eiusdem auctoris consilium est, ut tumorem omnino fluctuantem acu triquetra, *troisquart* vulgo appellata, ad evacuandum tumorem idonea, perfores, atque *syphonis* simplicis ope praebeas injectiones ex vino una cum alcoholi commixto, dum morbus adhuc recens sit; sin hic inveteraverit, tum adjicias quoque, oportet, potassae causticae solutionem 22). Quodcumque autem remedium adhibeatur, cavitate tumoris illud retinetur, donec dolorem satis fortem aeger percipiet; tum demum parietes irritatae comprimuntur, ad producendam protinus earum concretionem. Eandem fere viam ac rationem *Zangius* 23) atque *Boyerus* 24) praecipiunt. Nos autem, ducti auctorite *B. Bellii*, *Delpechii*, *Bricheteau* 25), injectionas irritantes bonum eventum praestare opinamur, in primis in tumoribus recentibus, molli, globosa cystide praeditis.

3) *SUPPURATIO.*

Quum saepius accidat, ut tumoris cystici inflammatio sive ipsa per se facile properet, sive, ab externa vi quadam suscitata, per universum telae cellulosae contextum extendatur; quumque tandem comper-

---

21) Op. cit. pag. 217.
22) Boyer. Tom II. pag. 352.
23) Zang. Darstellung etc. Erster Theil. pag. 299.
24) Op. cit. Tom II. pag. 353.
25) l. laud.

tum sit, cystidem, suppurationis inde ortae actione, haud raro dissolvi ac rumpi solere, materiam vero, quae intus continetur, protinus effundi, vulnusque in simplicem abscessum abire ac deinceps cicatricem agere; eandem itaque viam atque rationem ab ipsa natura auctores demum mutuati sunt novamque istam tumorum cysticorum curam, suppurationis ope, instituere coeperunt.

Quae quidem therapeutica methodus perficitur modo ferro candente, modo remediis causticis, inter quae lapis causticus vel in primis usurpari solet. Quapropter tumori emplastrum dyachylon gummosum, media sua parte foramine praeditum, primum applicatur ostiumque patens pulvere potassae purae conspergitur, tum aliquantum lintei carpti humectati imponitur ac denique cooperitur altero simili emplastro sine ullo foramine, angulis tamen suis quodammodo discissis, quo facilius adhaereat. Quatuor horarum intervallo causticum solet, ut par est, vim suam exercere, tum adempta deligatione eschara iam reperitur, quae maiori aut minori copia efformata ibi fuerat, ad cystidem usque penetrans; quodsi ea minus appareat tumorisque operculum haud tinxisse videatur, reiteratur caustici applicatio. Aperto denique tumore, materia, quam continuerat ille, confestim emittitur, adiuvante etiam compressione, vulnerisque cura absolvitur, quemadmodum cum abscessu praerupto id fieri solet. Nihilominus convenit, evacuata hoc modo materia, internam cystidis superficiem, ad eam facilius destruendam, postmodum illinire, idque penicilli ope, butyro antimonii, solutione potassae, aut acido sulphurico, vel, quod idem est, linteum carptum quovis ex istis pharmacis imbuere atque cystidi applicare. Quo facto, formatur crusta superficialis, quae mox decidit ac fundum carnosum, consolidationi aptum, relinquit. Hujus similem methodum receperunt quoque *Boyerus* 26), *Richeran-*

26) Dictionaire des sciences médicales l. c.

dus, *Delpechius* et *Bricheteau*, licet alia etiam pleraque caustica in eundem finem adhiberi posse, e scriptis chirurgicis satis superque pateat.

At in genere methodus ista tumores cysticos tractandi causticis remediis, quamvis vel ipsismet aegris magis certe placeat quam cultri adhibendi illa, non ideo tamen exscisioni, de qua paullo inferius monendi locus erit, praeferri potest.

a) Nam primo non solum plus, quam haec posterior, doloris molestiarumque creare solet, verumetiam haud semper efficax est, quum causticorum repetito usu nonnunquam egeas, donec cystis perforetur ac demum destruatur.

b) Tantum abest, ut illa successum prosperum nonnunquam habeat, ut etiam nocere videatur, si quidem post repetitam causticorum applicationem, in primis quum crassior cystis deinceps irritata et inflammata fuerit, cancrosam tumoris degenerationem haud semel inde exstitisse, observationes a *Chopartio*, *Bellio*, *Boyero*, aliisque allatae declarant. Praeterea caustica localia, ad destruendos cysticos tumores adhiberi solita, a vasis lymphaticis saepenumero absorbentur et in universum corporis organismum perniciosos effectus contrahere solent: quod identidem permultis auctorum observationibus probatum est. Itaque *Bricheteau* 27) affert exemplum hominis cuiusdam, qui continua trochiscarum escaroticarum applicatione eo adductus fuisset, ut mox viribus exhaustus ac paene necatus videretur. *Pibrak* autem mentionem fecit puellae sub convulsionibus emortuae a mercurio corrosivo, tumori ad superiorem cranii partem applicito. *Benevoli* et *Degner* similia se vidisse testantur.

c) Deinde, etiamsi magnam utilitatem multoties praestitisse dicantur, vel ob id ipsum haud multum laudanda sunt, quod etiam latiori quadam ac inaequali cicatrice inde orta aegros difformes reddant. Quam

---

27) Obs. méd. Caput. 14.

ob rem illorum usum ad eos solummodo casus reduci oporteret, qui exhibent aegros omnem operationem respuentes, aut quum eiusmodi tumor invasit corporis partem vestimentis celandam, ut nihil impediat, quin cicatrix minor aut latior eveniat. Nec minus refert, ad caustica illa fomenta confugere tum, monente *Lassusio*, quotiescunque cystidis aliqua pars, propter intimum eius nexum concretionemque cum vasis sanguiferis, tendinibus, aut ligamentis, remanet ac destrui debet. Prae omnibus tamen reliquis causticis ferrum candens principem locum tenet, quippe quod celerius certisque sibi assignatis limitibus, ut par est, vim exercet suam, et certiori successu opus coronare solet. Sed quum aegri illius applicationem saepissime abhoreant, vix unquam usurpatur.

4). *L I G A T U R A.*

Equidem haec auferendi tumoris cystici methodus, ad auctoritatem scriptorum, omnibus iis, quae hucusque a me expositae sunt, praestare creditur, eaque, ad basin tumoris facienda, in eo potissimum consistit, ut sanguinis circuitum intercipiat omnemque nexum, quem phyma cum reliquo corpore habere possit, magis magisque impediat. Ligaturae igitur munus praecipuum cernitur in lenta continuaque illius pedunculi destructione.

Quoad ipsam operationem spectat, ea diverso quidem perficitur modo, *Beniveni* 28) et plerique alii, quorum exempla ab *Hallero* collecta sunt, simplicem sericeam ligaturam, aliquantisper cera tinctam, usurpare eamque, ad facilius solvendum tumorem, sensim sensimque constringere solebat: quae tamen simplicissima procedendi ratio maximas ac in dies productas aegris creasse dicitur molestias. *Saviardus* triplex filum, atque singulum aliquanto a se invicem disjunctum, apponendum curavit, tumorem denique supra infimam ligaturam secavit.

---

28) Disp. chirur. Tom V. pag. 383.

Permulti quidem fuere auctores, qui ad accelerandam ligaturae actionem, viam illi munire curarent praevia baseos tumoris tegumentorumque incisione circulari, sicuti *Louisius* proposuit. *Chopartius* vero suscepit ligationem tumoris persequendam fili sericei ope, saturatissima lapidis caustici solutione imbuti, ac sejuncta iam eschara simplicem reiteravit ille constrictionem, cum opportuno operationis eventu. *Boyerus* priusquam ligaturam adhibendam curasset, tumorem iuxta reliquam corporis partem, cui insideret, cingulo emplastri adhaesivi, in medio potassa caustica consperso, obducere solebat, relicto apparatu deligatorio ad escharam formandam. *Richerandus* recoepit quidem caustici usum, nihilominus tamen sectionem cultro persequendam, ad parandam certe ligationi viam, necessariam esse opinatur, quamvis et postrema ratio ista nec dolores imminuere soleat, neque operationem simpliciorem reddat. Jam vel ex ipso fine, quo eiusmodi operatio unquam suscipitur, clarum fit, non omnem cystidis speciem illi submitti posse. Nam etiamsi tumores pedunculati, aut angustiori basi insidentes, haud magni, isto modo facile sanari soleant, et sine ingenti ceterum dolore, aegrorumque pusillanimorum metu, et sine ulla operis difficultate; minime tamen ligaturam convenire recte putant auctores iis praesertim tumoribus, qui basin largiorem vel etiam inflammatam occupant, eoque magis si eiusmodi cura in dies protrahatur, taediumque creat, non raro motum febrilem eumque perniciosum excitans.

5) *EXSTIRPATIO.*

Omnes sane artis chirurgicae auctores exstirpationem tumorum cysticorum radicalem atque certissimam curam una voce declarare student. Neque id mirum. Tumor enim ex toto exscinditur, operatio celerrime absolvitur, vulnus ad primam vim intentionemque solidum fit, non nisi ab exigua exceptum cicatrice: quibus omnibus rerum momentis carent ligatura, caustica et remedia solventia, alias

etiam taediosa. Sed vel sic tamen concedendum est, haud omnem cysticum tumorem profecto exscindi posse, eo magis si etiam ille firmiter adhaereat aut parti cuidam solidae, vel, quod pernitiosissimum profecto est, maiori trunco vasis sanguinei, nervo seu organo cuicumque subtiliori. Quodsi cystis mobilis sit atque mediocris voluminis, eius exstirpatio facillime perfici potest. Equidem tumore altera manu praehenso, altera eius media cutis in longitudinem simplici cultello discinditur, usque dum liber aditus ad ipsum tumorem nudum obtineatur. Si hoc modo quaedam arteria forte scissa sit, sanguinemque fuderit, confestim ea liganda est aut saltem comprimenda usque ad operationis exitum. Sectis vero integumentis, tumor denudatus aut cultri manubrio aut digito resolvitur, vel, si id non suffecerit, acie separatur, ita tamen id faciendum, ut, aperta sacci membrana, materia intus collecta protinus effundi minime debeat, quod difficiliorem complicatamque redderet operationem: extracta demum cystide vulneris labia ad se adtrahuntur teniolisque emplastri stiptici firmantur ac deligantur modo partis conformationi consentanea. Haec simplicissima tamen exstirpandi methodus haud semper optima evadit. Nam quoad cutis incisionem spectat, eam simplicem atque unicam solummodo sufficere faciendam in tumoribus exiguis, clarum fit. Sed quoties phymatis iam satis grandis, ac in apice suo una cum cute concreti exstirpatio suscipiatur, ad auferendam tunc temporis eam cutis partem, quae concretionem subierat, nec minus ad cicatricem aspectu formosiorem reddendam, binis illam semilunaribus feriundam esse incisionibus, sibi invicem probe respondentibus, *Brünningshausen* et *Bellius* optime indicant. Grandiorem itidem tumorem, si unquam tollendum cures, ut facilior aditus maiusque spatium fiat ad operationem persequendam, primum cutem literae T. aut crucis figura dividas, opus est, hortantibus etiam *Bellio*, *Boyero*, *Delpechio*, *Bricheteau*, *Zangio*, *Coopero*, *Richerando* aliisque. Integumentis vero discissis mox cystidem sectione in longum ducenda aperiri, materiem internam evocari

eamque e sacco seu membrana, volsellae ope, deductam, scalpello separari iubet *Dessaultius:* quae tamen via et ratio, a *Bellio* aliisque examinata, iis solummodo casibus convenire dicitur, qui exhibent saccum arteriae seu nervo insidentem ita, ut haud omnino separari queat: tunc temporis sacco evacuato eius particulam, quae iam libera exstat, idem vir celeberrimus suadet primum auferri ipsumque vulnus apertum relinqui, donec membranae reliquae tenaciores quaevis particulae suppuratione resolvantur, atque carunculae carneae e vulneris basi emergant.

Sed quum maioris cuiuscumque vasis, sive venosi sive arteriosi, graviores laesiones operationem quam maxime complicatam et perturbatam reddant; id certe *Petitum* eo adduxit, ut ligaturam arteriae brachiali apponere debuerit, antequam sacci, cubiti articulationem occupantis, exscisionem aggrederetur.

EXSTIRPATIO PARTIALIS v. AMPUTATIO.

Postremam istam tumores cysticos exstirpandi viam ac rationem omnibus reliquis methodis, in eundem finem adhibendis, postposuerunt auctores, eamque ad singulos quosdam casus referendam putant. Jtaque amputationem lupiarum fieri tum solummodo plerique jubent, quum cutis degenerata iam cernetur, aut ipsum phyma volumine suo grandius exstiterit; vel etiam tum, quum tumores cystici apparuerint in nervis, arteriis aliisve majoris momenti corporis partibus, quae universali exstirpationi opponuntur. Jpsa vero operatio simillima certe est mammae cancrosae exscisioni. Quapropter strenuus operator, divisis, circulari quidem sectione, ad basin tumoris integumentis et iteratis, quoad eius fieri possit, ictibus tumorem ipsum exscindere perget. Ad conservandam cutem, auctore *Boyero*, eius pars superior sectione cruciata transcinditur, tumor vero cultelli ope a partibus supterjacentibus, quantum conceditur, liberatur, aut remediis irritantibus, suppurationis ope, solvitur. Denique quatuor illis cutis panniculis secum diligenter compositis, vulnus solito more incolumitati restituitur.

THESES.

I. *Civiali* methodum ad conterendos comminuendosque calculos urinales haud prorsus respuendam esse, censemus.

II. In velo palatino consuendo, ad margines vulneris cruentos reddendos, causticorum usus cultri aut forficis illi plane postponendus est.

III. Febrium intermittentium causam proximam in irritatione systematis gangliorum exsistere, opinamur.

IV. Febris nervosae versatilis, causam proximam in irritatione membranae arachnoideae positam esse credimus.

V. Num quisquam homo adhuc vivus aut post mortem laqueo suspensus tandem sit? ex investigatione ipsius cadaveris haud facile designari potest.

VI. In intestino coeco succedanea quaedam digestio perfici videtur.

VII. Substantia urica in ipso sanguine magis quam in renibus efformatur.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICO-PRACTICA.
DE
HERNIOTOMIA

QUAM
IN CAESEREA LITTERARUM
UNIVERSITATE VILNENSI
AD
CONSEQUENDA DOCTORIS MEDICINAE
JURA ET HONORES.
PUBLICO MEDICORUM JUDICIO
SUBMITTIT

MATHIAS PIECULEWICZ
LITHUANUS
MEDICINAE MAGISTER.

ANNO MDCCCXXVII die XXIX JUNII.

VILNAE.
Typis Zymelianis et Manes, sitis in Platea castrensi
sub Num. 185.

Licet excudatur, ea lege, ut exemplaria septem apud Censorum Collegium deponantur. Vilnae die 16ta Octobris Anno 1823.

VENCESLAUS PELIKAN.

Med. et Chir. Doct. Chirurgiae
et Clinices Chirurg. Prof. P. O.

VIRO ILLUSTRISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

VENCESLAO

PELIKAN

Medicinae et Chirurgiae Doctori, Collegiorum a Consiliis, Equiti ord. S. Annae 2 Classis, Chirurgiae, Clinices Chirurgicae et Anatomiae humanae in CAESEREA Litterarum Universitate Vilnensi Professori P. O., Rectori Magnifico, Seminarii Medici IMPERATORIS Munificentia Conditi Praefecto, Academiae Medico-Chirurgicae Petropolitanae et Societatis CAESAREAE Medicae Vilnensis Sodali.

PRAECEPTORI SUO PIE COLENDO

SUMMAE OBSERVANTIAE ET GRATISSIMI ANIMI SIGNIFICANDI CAUSA SACRUM ESSE VULT.

AUCTOR.

Nominis Ratio. Nomina, graecum *Κηλη*, latinum *Hernia*, varios tumores, sed praecipue in scroto inguinibus et umbilico, teste *Aëtio* 1) et *Celso* 2), notantia; tum *Τομη*, (*sectio*) curam eorum scalpelli ope denotans; vocabulis *Κηλοτομη*, sive *Kelotomiae*, itemque *Herniotomiae*, originem dederunt.

Definitio. Operatio, qua impedimentum reditus elapsi e cavo abdominis intestini, omenti, vel utriusque simul, ob incarcerationem, sive accretionem eorum proveniens; praevia incisione integumentorum et sacci, (ut mors praecaveatur, vel saltem incommoda mitigentur) tollitur: visceraque in suum locum reponuntur, aut si id nequeat, ita relinquuntur; nomine *Herniotomiae* insignitur.

Historia operationis Morbi hujus, ante duo et eo amplius annorum millia ante *Celsum* noti, investigare initia, tum: quis? aut quomodo encheiresin inceperit? perdifficile est. Non est dubium tamen, quin, scholae Alexandrinae operationis origo sit tribuenda, atque opus *Celsi* describens operationem, satis superque probat, iam pridem usurpatam fuisse 3). Ipse vero *Celsus*, existimans malum ex dilaceratione peritonaei oriri, absque indicationibus, raro scalpello videtur rupturas curasse: eodem loco: „Si cui parvulo, ait, puero, intestinum descendit, ante scalpellum, experienda vinctura est." porro „Si „multa intestina prolapsa sunt, secari supervacane„um est; non quo excludi a scroto non possint, sed „quo repulsa inguinibus immorentur, ibique tumo„rem excitent, atque ita, fiat mali non finis, sed mu„tatio." *Paulus Aegineta* 4) meliora herniae incar-

1) Tetrab. 4. serm. 3. cap. 6.
2) Lib. VII. cap. 15.
3) l. c. cap. 20.
4) Chir. Lib. VI. cap. 66.

ceratae praecepta prodens, ut *Celsus*, tum *Roland* 5), *Alex. Benedictus* 6) in cura radicali, ligaturae, multum favebant. Quae spatio temporis, a *Ber. de Metis* 7), (quem *Roussetus* 8), *Zach. Vogelius* 9) aliique, secuti sunt) in punctum aureum, mutata fuerat. Quodque porro, funiculi spermatici servandi causa, repulsis intestinis, locum cessit, Suturae Regiae; a *Pau. Aegineta* 10), *Fab. ab Aquapendente* 11), *Sharpio* 12), in usum versae. Arabes, excepto *Abul' Kasem* 13), qui, unicum auxilium in operatione ponit, *Ali* 14) filius d'*Abbas*, *Avicenna* 15), atque alii, ex mediis saeculis, succurrentes cicatrisationi peritonaei; nihil ferme, praeter cauterium actuale, noverant. Cujus prima vestigia in fragmentis *Leonidis* apud *Aëtium* 16), occurrunt. Nec aliter, *Roger Parmensis* 17), *Gvil. de Saliceto* 18), *Vigo* 19), procedebant. Saeculo decimo tertio, pedetentim studio Chirurgorum collabente, maxime in Italia superiori, causticis. *Guy. de Chauliac* 20), *Theodoric* 21), *Monro* 22), *Gauthier* et *Maget* 23). Dein agyrtae et circumforanei cum castratione, testantibus *Scip.*

---

5) Chir. cap. 32.
6) Op. Lib. XXIV. cap. 37.
7) *Guy de Chauliac*. Chir. Mag. Tr. VI. Doct. II. cap. VII. p. 340.
8) Assertio pro partu caesareo. Paris 1590.
9) Lib. de Herniis 1744.
10) Op. cit.
11) De Chir. operat. p. 89.
12) Critic Inquiry. Lond 1750. p. 12.
13) Chirurg. Lib. II. f. 67. p. 310—312.
14) Pract. Lib. VII. c. 51. f. 152. c.
15) Can. Lib. III. fen. 22. tr. I. p. 598.
16) Op. cit. cap. 24.
17) Chirurg. c. 37. f. 375. c.
18) Chirurg. cap. 24. f. 317. b.
19) Chir. Lib. II. tr. 6. cap. 7.
20) Tr. VI. Doct. II. cap. VII. p. 341.
21) Chir. Lib. III. cap. 34.
22) Sämmlt. Werke p. 256.
23) Diss. sur l'usage des caustiques pour la guer des hernies. Paris 1774.

de *Mercuriis* 24) et *Dionis* 25) hernias a medicis omnino neglectas, crudelem in modum tractabant. Nec hic finis mali. Medio saeculo decimo septimo, rudes vagabundi Hispani; secundum *Moinichenum* 26) et *Scultetum* 27) terribili repositione testiculi in abdomen, et sutura annuli, aegros excruciabant. Praecepta igitur Herniotomiae cruda, sine notionibus, Anatomicis et Chirurgicis hinc inde, ab incultis erronibus in praxin deducta sunt, laborantesque hernia incarçerata, sub ipsa operatione mori, vel absque operatione, sibi derelicti, vitam cum morte commutare debuisse; ex *Costerii* 28) opere elucet. „Ve-„rum, ut operatio haec periculi plena est, ita medi-„cus potius talem aegrum, tanquam desperatum non „tangat. Beatius enim est, talem sua sorte mori, „quam cultri violentia, e medio tolli„ Jnterim medici subsequentes, licet accuratius, *Franco* 29), *Paraeus* 30), *Fab: Hildanus* 31) herniam incarceratam descripserint; nihilo minus destituti vera notione structurae, neque habentes rectas indicationes, illam, pro admodum difficili operatu, considerabant. *Wisemann* 32) tamen, ponens incarcerationem pro firma indicatione operationis, (licet *Ludovici* XIV 33) secretum contra rupturas, et arcana fautorum *Vanhelmontii* 34) iterum Chirurgos a suo opere impedirent) Parisiis inque Germania; cultoribus admovit

---

24) Degli errori popul. d' Hal. Venet. 1603.
25) Cours d' operations p. 288. „Agyrtam nutrientem tes-„ticulis canem se vidisse, refert.„
26) Obs. Med. Chir. Hafn. 1665.
27) Armam. pag. II. obs. 64.
28) Theor. et prax. affect. totius corp. humani praecept. Tab. 51. p. 189.
29) Trait. des hernies Lyon. 1561.
30) Lib. VII. cap. 15 - 16.
31) Cent. VI. obs. 72 - 73. f. 590.
32) Eight. Chirurg. treatis vol. I. cap. XXVIII. p. 249.
33) *Dionis* I. c. p. 270.
34) *Corn. Herlacher* Erörter - und Eröffnung der ohnschmerzlichen Cur die Brüche, ohne Bruchschneiden zu heilen. Ulm 1695.

calcaria. Jtaque, *Dionis* 45), *Mery* 36), *Weidemann* 37), *Garengeot* 38), *Petit* 39), *Arnaud* 40), *Le Blanc* 41), continuo errores antecessorum corrigentes, inguinalem et umbilicalem herniotomiam, indies magis excolebant. Femoralis vero hernia, prorsus ad initium saeculi decimi octavi usque, ignota; a *Barbetto* 42), *Verheyno* 43) et *Palfyno* 44) assidue cognoscendae structurae corporis humani operam dantibus, detecta est: ab his operari incepit. Ex quo tempore, Anatomia sensim sensimque caput extollens, Chirurgiae indies latiorem campum aperiebat, valentioraque Herniotomiae suppeditans praecepta. Peritiores utriusque artis, hac in re Chirurgica admodum magni momenti, ut plurimum inclaruerunt: *Louis* 45), *Gimbernat* 46), *Schulz* 47), *Richter* 48), *Camper* 49), A: *Cooper* 50), *Scarpa* 51), *Hesselbach* 52), *Lawrence* 53) ceterique multi, in ipsa desriptione operationis, commemorandi.

---

35) Op. cit.
36) Mem. de l' Acad, des sciences ann: 1701.
37) Bericht vom Stein. - auch Bruchschneiden Augsbr. 1719
38) Trait: des operat. des Chirurg. Vol. I.
39) Trait: des maladies Chirurg, Vol. II.
40) Dissertations on henias ov ruptures Lond. 1748.
41) Precis d' operations de Chirurg. tom II. Paris 1775.
42) Op. Chirurgicum,
43) Op. Anatomicum 1693.
44) Handwerk de heelk Leid. 1710. p. 79.
45) Mem de l' Acad. de Chirurg. Vol. III.
46) Nuevo metodo de operar en la hernia crural. Madrid. 1793.
47) De herni: operat. analecta Hal. 1797.
48) Anfangsgründe der Wundarzneykunst. B. V. 1798.
49) Icones herniarum etc. Francfort 1801.
50) Anatomy of ingvinal and congenital hernia Lond. 1804. Anat. of crural and umbilical hernia Lond. 1807.
51) Sull' Ernie memorie Anat. Chir. Milano 1809.
52) Disquisit. Anat. pathol. de ortu et progressu herni. ingvinal. et crural. Würzbourg. 1806 - 1816.
53) Treatis on Ruptures Lond. 1815.

MOMENTA OPERATIONIS

Positio aegri. In seligenda positione aegri auctores secum discrepant. *Franco* 54) evacuata urina, resupinato supra tabulam aegro, capite depressius pelvi collocato; *Sourdiere* 55) facta insuper musculorum sterno-cleido-mastoideorum, mentum pectori inclinando, relaxatione; *Dionis* 56), *Garengeot* 57) et *Sabatier* 58) secundum longitudinem marginis tori, Chirurgo e latere affecto stante; *Louis* 59) transversim lecti, divaricatis flexisque cruribus, operatore inter illa sedente; *Sharp* 60) et *B. Bell* 61) extremitatibus propendulis, tantisper flexis, ad relaxandos musculos abdominis, retentisque ab adjutoribus; similiter *Lawrence* 62) crure lateris affecti flexo, supra sellam posito: in femorali, pede ejusdem lateris introrsum directo, sanoque imposito; opus incipiebant.

INCISIO INTEGUMENTORUM

Inguinalis. Integumenta tumoris, derasis pilis, facta plica transversa, ubi cutis magis plicabilis appareat: aut melius, methodo proposita a *Sharpio* 63), probata a *Louis* 64), incipiendo distantia unius pollicis, supra annulum abdominalem; eademque plica, ex uno latere, manu sinistra opera-

---

54) Op. cit.
55) *Haller.* collect. dissert: Chir vol: III. p. 117.
56) Op. cit.
57) Op. cit.
58) De la Medecine operatoire Tom II. p. 543.
59) Op. cit.
60) I. c.
61) Lehrbegriff der Wundarzneyk. B. I.
62) Trait. des hernies, traduit par *Beclard* et *Cloquet*. Paris 1818 p. 425.
63) Op. of Surgery p. 20.
64) I. c. mem. sur l'operat. de la hernie vol. IV.

toris, ex altero a ministro retenta: scalpelli ope, acie convexa directione obliqua incidebantur. *Richter* 65) et *Desault* 66) formatis duabus rugis, vulnus infligebant. *Dionis* 67) duorum pollicum, *Portal* 68) crucis more, incisionem formabant. Hocce modo, divisa cute; *Paraeus* 69) specilli sulcati, *Garengeot* 70) non absimilis specilli et forficis, *Arnaud* 71) digitorum cultrique, *Richter* 72) peculiaris forficis, ad id excogitatae ope; sursum deorsumque efformabant plagam. Modus administrandae parvae incisionis, integumentorum et sacci, atque dilatandi, utpote: partes funiculum spermaticum componentes, laesioni nonnunquam exponens; recte a *Heyio* 73) oblivioni traditus esse creditur. Nec methodus *Maupas* 74) a *Smalzio* 75) iterum renovata, incidendi supra annulum integumenta et peritonaeum, digitisque immissis retrahendi partes in tumore contentas, imitanda esse videtur. *B. Bell* 79) aliique Angli, quos sequimur; haud formata plica, sed pollice et indice manus sinistrae, tumorem intendentes; dextra scalpello supra laudato, ad fundum ejus usque incidunt.

Femoralis. Hic etiam, aut facta plica, vel intensa cute: *Monro* pater opus incipiens, pollicem supra ligamentum *Fallopii*, dirigens ab interioribus ad exteriora et inferiora. *Chopart* et *Desault* 77) oblique per ipsum tumorem, ab

---

65) Op. cit.
66) Nachl: 2. B. 4. Th. p. 61.
67) I. c. p. 343.
68) Precis de Chir: Paris 1767 p. 603.
69) Op. cit. cap. 15.
70) Op. cit. p. 306.
71) I. c.
72) Op. cit. §. 360.
73) Practical observations p. 146.
74) *Rousseti*. Op. cit. p. 208.
75) *Dekkers*. Exercit. pract; p. 453.
76) I. c. p. 248.
77) Anleitung zu Chir. operat: 2. B. p. 346.

exterioribus interiora versus. *Hull* 78) et *Rudtorffer* 79) sub angulo recto, ad arcum cruralem. *Cooper* 80) in medio ephorae, formae T inversae. *Sabatier* 81) directe supra herniam. *Scarpa* 82) transversam putans optimam, ad paralellam ab arcu femorali; incisionem instituebant. Duce *Lawrencio* 83) et aliis, methodum *Monro*, utpote: propinquam loci incarcerationis, praeferendam esse credimus.

Umbilicalis *Petit* 84) primo intensa cute, incisionem rectam, dein transversam; tum os vulneris, deductis quatuor extremis partibus, ope scalpelli vel forficis, introducto digito, ampliabat. *Arnold* 85) perforata cute, specillum sulcatum, circa extremum clausum, introducta forfice utrinque quantum opus esset, plagam efformabat. Sed ut in aliis herniis, sic et in hac specie, incisio in longitudinem; cautior tamen, propter tenuitatem integumentorum, aliquando ob defectum sacci, prae aliis laudanda est.

Remotis labiis vulneris, textus cellulosus, modo tenuis atque paucus, modo incrassatus, praecipue, post pristinam bracherii compressionem, adinstar corii durus comparet.

Nil igitur mirum, si legimus: *Meryum* 86) saccum tribus tunicis, *Mauchartum* 87) tunica aponevrotica, ab ipso dicta, inque multas lamellas se-

---

78) Medical and Physical Journal vol. XI. p. 42 Janvie. 1804.
79) Abhandlung über die operat. der Leisten und Schenkelbrüche, Wien 1805. p. 49.
80) Surgicul Essays part. II. p. 15.
81) Op. cit. p. 409.
82) Op. cit. p. 231.
83) Trait. des her. p. 426.
84) *Garengeot* cap. de Omphalo-cele.
85) *Heisteri*, Institutiones Chirurgicae p. 760.
86) l. c. Observatios sur les hernies.
87) Diss. de hernia incarcerata nova encheiresi extricata. Tubing. 1722.

parabili; similiter *Richterum* 88), *Günzium* 89) et alios: nonnunquam massa adiposa simili mesenterio; *Saviardum* 90) et *Scarpam* 91), contectum invenisse. Atque haec omnia, reiteratis ductionibus cultelli, aut sublevata specillo, removenda sunt.

APERTIO SACCI.

Remoto textu celluloso per integram longitudinem, vel saltem in uno puncto, considerandum est. An saccus herniosus, aperiendus sit, nec no? et quo modo? *Franco* et *Paraeus* 92) timentes incidere, plane denudatum propulsis intestinis, ligabant. *Petit* 93) et *Ravaton* 94) primus immerito, hujus methodi creditus auctor, coacervatum in grummulum, excepto casu gangraenae, corporumque extraneorum: alter aperte, ut suum inventum concelebrans, item *Garengeot* 95), in cavitatem abdominis compellebant. *Heister* 96) „Si tumor, aut „hernia, ait, non adeo usque grandis est, at nimi„rum incidatur sacculus.“ et cum ipso intestina reponit. Etiam hernias inveteratas, bono eventu, ita se operasse, refert. *Richter* 97) tum aliqui recentiores, in quibus *Cooper*, subnixi gravibus argumentis. 1. Sine incisione, praecaveri inflammationem peritonaei. 2. Etiamsi laedatur arteria, sanguinem in cavitatem abdominis haud penetrare; exem-

---

88) Op. cit. §. 365.
89) Obs. Chir. Libellus de herniis Lip. 1744 p. 50—51.
90) Observations de Chirurgie.
91) Op. cit: p. 252.
92) Lib, VIII. cap. XV. p. 309.
93) Op. cit. p. 329. ff.
94) Trait. sur les playes d'armes á feu Paris 1750. p. 308.
95) Op. cit. p. 188.
96) Op. cit. p. 760.
97) Progra. hern. incar. una cum sacco suo reponi posse. Gött. 1777.

plaque citantes 98), suam opinionem firmare satagunt. *Monro* pater 99), *Monro* filius 100), considerantes accessum aëris ut vehementer noxium, et *Hull* 1) adfirmans hoc modo, non exponi partes laesioni, commendansque in ipsa colli sacci incarceratione, parvam efficere incisionem; ut praecipui defensores, hujus modi operationis, reputantur. Altera ex parte. notio anatomiae, varia positio funiculi spermatici, accretio tunicae vaginalis ad saccum, incarceratio post annulum 2), vel in collo sacci, coarctatio intestinorum, gangraena. volumen partium auctum: adduntur praeterea; timor novae incarcerationis, ac impossibilitas reductionis, a *Monro* 3). Corpora extranea, a *Petito* 4). Ichor foetidus, a *Cheseldeno* 5). Cohaesiones cum partibus externis, a *Cypriano* 6). Processus peritonaei, ut inserviens novae herniae receptaculo, a *Mauckarto* 7). Haec igitur omnia, reductionem sacci integri vetant. *Le Dran* 8) et alii multi, merito hanc methodum minus probant. His expositis, pondere argumentorum, et aliorum experientia ducti; in parvis, incompletis, admodumque recentibus, sacculo tenui instructis herniis: svadente *Richtero* 9), integrum in cavitatem abdominis repellere; in voluminosis vero, inveteratis, multisque adhaesionibus carnosis abundantibus: praeeuntibus, *Richte-*

---

98) Part. l. p. 45—46.
99) Description of all the bursae mucosae.
100) Essay on crural hernia.
1) Op. cit. p. 44. ff.
2) *Arnaud.* Les remarques sur l'etranglement de l' intestin par la peritoine p. 553 et seq.
3) l. c.
4) l. c. chap. VII. §. 9.
5) Cent. ejusdem anatom. edit III. p. 283.
6) Epistol. de foetu ex uteri tuba exciso p. 85.
7) Op. cit. p. 21.
8) Obs. Chir. Tom. II. p. 33 et seq.
9) Op. cit. §. 502.

ro 10), *Hull* 11) et *Lawrencio* 12) absque incisione, superata solum incarceratione, relinquere curamus.

Hic animadvertendum est. Ne structura sacculi ex multis lamellis, ut supra monuimus, contexti; aut absente eo, in umbilicali congenita, vel herniis colis et intestini coeci, postico pariete formatis, teste *Sedilloto* 13), hanc rem rite declarante, *Pelletano* 14). eodemque admodum tenui, vel simili casu, ut operantibus herniam inguinalem congenitam, *Heyio* 15) et *Coopero* 16) aperta tunica vaginali, atque denudato testiculo, sacco vero comparente, accidit; in errorem ducamur. Neque saccum pro intestinis, aut contra habeamus. En tabula partes modo memoratas distinguens:

SIGNA SACCI.	INTESTINORUM
1mo: Percisis foliis, nullus effluxus seri comparet.	1mo: Vix instituta parva apertura, defluit humor serosus, aliquando considerabili copia.
2do: Superficies inaequalis, aspera, coloris albicantis, proprii foliis textus cellulosi	2do: Aspectus splendens, superficies glabra, laevis, coloris rubicundi, vel ex integro rubri.
3tio: Digitus, aut specillum difficille intrant.	3tio: Quoquo versus, libere penetrant, si excipias adhaesiones.
4to: Parva copia vasorum sanguiferorum, eorumque dispositio inaequalis.	4to: Numerosa ac tumida vasa, retis instar distincta.

10) Ibid. §. 394.
11) Op. cit. p. 61.
12) Op. cit. p. 25.
13) Journal de Medecine tom. XVI. p. 302.
14) Clinique Chirurg. tom, III. p. 350.
15) Op. cit. p. 221.
16) Part. I. p. 59.

5to: Nullae rugae, neque fibrae circulares comparentes.	5to: Copiosae rugae, fibraeque circulares evidentissimae.
6to: Puncto pariete acus ope, exit homor flavicans, sine foetore.	6to: Perforato intestino, prodeunt faeces, et aër, in ejus lumine collectus.

Decreta iam incisióne sacci, explorata positione partium, suppressaque haemorrhagia, porro pergitur. *Paraeus* 17) parvam instituebat incisionem. *Dionis* 18) tenues saccos cultello aperiebat, crassiores autem, instrumento (dechossoir) dicto, dilacerabat. *De la Vauguyon* 19) primus per strata saccum extenuando. *Petit* 20) lanceola. *Louis* 21), *Le Blanc* 22) sonda obtusa, uno ictu inter folia introducta. *Garengeot* 23) specillo sulcato, reiteratis vicibus, in textum cellulosum immisso. *Le Dran* et *B. Bell* 24) simili specillo accuminato, anteriore extremo haud clauso, aperire conabantur. Sed in tanti momenti operatione, egregia praecepta suggerens, imitandus est *Richter* 25). In parte inferiore tenuis sacci, summa cum cautela; investigata notabili fluctuatione, eadem bene perspecta; arreptaque particula volsellae, secundum *Lawrencium* 26) digitorum ope, pollice et indice volvendo, explorandi gratia, ne intestini simul particula comprehendatur; scalpello sumitatem abscindere, aut si crassior sit sacculus, foliatim extenuare svadet. Aperto sacco, inferius ad fundum tumoris usque, sursum pollicem relinquendo prope annu-

17) Op. cit.
18) Op. cit. fig. B. E.
19) Trait, des operat. Paris 1696 p. 75.
20) Op. cit.
21) Op. cit. p. 310.
22) Chirurg. Operat. T. II. p. 4.
23) Op. cit. p. 310.
24) *Bell.* l. c. p. 250. Tab. IV. f. 7.
25) Op. cit. §. 362—363.
26) Op. cit. p. 220.

lum, paries ejus conciditur. *Hull* 27) intromissa sursum, *Monro* 28) deorsum, sonda flexa canellata, extremoque ejus ad parietem sacci presso; alterum foramen instituentes: iungendoque secum cultri ope, velamentum peritonaeale dilatare admonent.

DE SEDE INCARCERATIONIS.

Dissecto sacco, multum a dexteritate pendebit, in liberandis partibus elapsis, ex investigatione loci incarcerationis. Si ita se habeat; in apertura interna, opinantibus *Bertrandio* 29), ab aponevrosi musculorum, obliqui interni et transversi: in femorali, *Gimbernatio* 30) et *Hesselbachio* 31) a ligamento interno, origo mali derivanda est. Sic in herniis incompletis. *Murayio* 32) *Calliseno* 33) observatis, res se habere videtur. Quod, annulus externus amplus, hernia recens, vel mox post remotionem bracherii oriens, specillum inter sacci collum et annulum difficile intrans. confirmant. Aut in externa: in femorali *Langenbeckium* 34) primum, saccum adinstar annuli circumdatum vidisse; *Richterum* 35) et *Scarpam* 36), a ligamento semilunari; etiam *Scarpam* 37), ab incrassatione ligamenti externi, incarcerationem observasse, legimus. Qua de re, ex ambitu annuli externi margine crasso, duro, tensoque praedito; pressius

---

27) l. c. p. 44.
28) Op. cit.
29) Trait. des operat. p. 50.
30) Op. cit.
31) Op. cit.
32) Diss. animadversiones in hern. incompl. casu singulari illustratae Upsal. 1788.
33) Acta Societ. med. Havnien. vol. 11.
34) Biblioth. für die Chirurgie 4. B. 3. st. p. 447.
35) Op. cit. §. 530.
36) Op. cit. p. 231.
37) Ibid. pag. 235.

saccum angustante, digiti neque specilli introductionem permittente; certiores reddimur. Sive ex incrassatione colli sacci, ferme cartilaginea, teste *Wilmero* 38), atque ejus angustatione, praeeuntibus *Homio* 39), *Heistero* 40), *Le Drano* 41), *La Fayio* 42), *Arnaudio* 43) ad duos circiter pollices post annulum; *Sabatiero* 44) et aliis. In herniis congenitis inguinalibus *Pottio* 45) et *Wrisbergio* 46) multis in locis, a constrictione sacci, obveniens incarceratio; annulo undique libero, cognoscenda est. Denique ex adhaesionibus partium, tum inter se, tum cum sacco, sive lumen intestinorum plane claudentibus, omento ansam formante, induratione, angustatione, contorsione intestinorum, ceterisque infra dicendis, orta; summa cum patientia et labore, detegenda.

DILATATIO ANNULI.

Non Cruenta. Detecta sede incarcerationis, quaeritur modus, quo abigatur? Aliqui auctores considerantes incisionem, ut difficilem, periculosam, debilitantem fibras tendineas, atque hoc modo, carentem cura radicali, dilatando liberare partes sibi proposuere. Quodque propositum variis instrumentis, suo marte excogitatis, ad exitum deducebant. *Thevenin* 47) dilatatore, supra son-

---

38) Pract. Obs. Edit. II. p. 41.
39) Transactions of a society for the improvement of Med. and Surg. knowlend. vol. II. p. 106.
40) Obs. Chirurg. T. I. obs. 57—58.
41) Op. cit. p. 6.
42) Notes sur Dionis. Paris 1730.
43) Op. cit.
44) Op. cit. p. 342.
45) Works vol. III, p. 299.
46) Comment. reg. soc. scient. Goett. 1778. p. 69.—70.
47) Oeuvr. Paris 1658.

dam cavam introducto. *Arnaud* 48) hamulo. *Le Blanc* 39) digiti, aut dilatatoris duobus e ramis compositi, ad duodecim vel quindecim lineas inditi, ut suum inventum venditans ope. *Le Cat* 50) levatore fere simili hamulo *Arnaudii. Weidemann* 51) instrumento tribrachi: modo ligamentum tollendo sursum, modo ambitum annuli augendo; ignorantes utpote verum incarcerationis locum, aliquando exoptato successu, partes elapsas, in abdominis repellebant cavitatem. Porro, praesente angustatione in ligamentis, hamulo; proveniente a collo sacci, dilatatorio; in adhaesionibus, induratione, volumineque viscerum aucto; incisione utebantur. Postremo *Scarpa* 52) hanc methodum renovare voluit. Sed iam *Rudtorffer* 53) non audens labefactare parietes annuli; *Gimbernat* 54) et *Hull* 55) excepto hamulo, reliqua parvi faciebant. Nos timentes laesionem intestinorum, venae et arteriae in femorali, ob difficilem introductionem, demum: notione anatomica, loci incarcerationis, observationibusque chirurgicis persvasi; vulnera incisa minoribus a contusis periculis stipari: adstipulantes *Richtero* 56) et aliis, etiam hamuli functionem, in colli sacci lenem tractionem permutando; praeferentesque mox describendam incisionem, omnia instrumenta quondam laudata, utpote: ambitum annuli magis angustantia, reijcimus,

Cruenta Constricto annulo modo interno, modo utroque simul, neque permittente reditum

48) Mem. de Chirurg. Lond. 1768. T. II. p. 780.
49) Operations de Chir. T. II. Tab. I. fig. 1, 2, 3, Paris 1782. Etiam. Nouvelle methode d'operer les Hern. Paris 1768.
50) Abbild. in *Le Blanc's* Inberg. der Chir. operationen a. d. Franz. Leipz. 1785. II. B. Tab. I. fig. 4. 5.
51) *Koehleri* Chir. Verbandl. Leipz. 1796. Tab. XIII. fig. 2
52) Op. cit. p. 256. ff.
53) Op. cit. p. 62.
54) l. c.
55) l. c.
56) Op. cit. §. 382.

Ingui-nalis. viscerum propulsorum, incisione a *Franco*, *Paraeo*, iam proposita, *Cypriano* 57) tunc primum in usum deducta, opus est. Quam ob rem, quaesita sunt multa instrumenta, nempe: scalpellum occultum *Le Drani* 58). Bistouri gastroraphique *Maurandi* 59). Sonda alata *Morenheymi* 60). Specillum et cultellus *Arnemanni* 61). Specillum *Desaulti* 62). Cultellus *Ohlé* 63). Praeferentes cum *Richtero*, *Coopero*, specillum simplex canellatum et cultellum, acie concava noduloque ad apicem ovali praemunitum, alia pro superfluis habemûs. Itaque protracta extra particula colli sacci, introducitur sinister index, aut specillum nunc laudatum. Sed impedientibus adhaesionibus: *De la Vauguyon* 64) scarificando annulum. *Desault* 65) inquirendo locum minus resistens, id perficiebant. Dein, intromisso herniotomo, instituitur incisio. Sed directio ejus, multum Chirurgis facessebat negotii. Licet dicerent notionum anatomicarum ope, operationes perfecisse; tamen, omnium secum haud convenientium, quam brevissime opiniones, in septem classes, dispertiendas curavi. Et quidem. 1mo: *Verduc* 66), *Garengeot* 67), *Heister* 68) et *Bertrandi* 69), dividendo crus internum annuli abdominalis, sursum introrsum, lineam albam versus, cultellum dirigentes. 2do: *Morenheym* 70) transversim ad lineam

---

57) l. c.
58) *Heisteri* Op. cit. Tab. XXIV. fig. 10—11.
59) Ibid. fig. 9.
60) Beobaht. B. I. Tab. I. fig: 3. Wien. 1780.
61) Uebers p. 124.
62) l. c. p. 63.
63) Diss. anat. pathol. Viteb. 1806 p. 16.
64) Op. cit.
65) Oeuvres Chirurgical. Tom: II. p. 351.
66) *Sabatieri* Op. cit. p. 354.
67) Op. cit.
68) Op. cit.
69) Op. cit.
70) Op. cit. p. 155.

albam. 3io: *Sharp* 71), *Pott* 72), *Sabatier* 73), aliique Galli imitantes Anglos, oblique exterius, versus spinam iliacam. 4to: *Richter* 74) a superiore parte annuli, ad umbilicum. 5to: *Chopart* 75) et *Desault* 76), accommodantes directionem positioni funiculi spermatici: nunc eo, posterius interiusve herniae decurrente; sursum extrorsum, nunc anterius interiusve; sursum introrsum. 6to: *Camper* 77) absque fixa regula, modo introrsum, modo extrorsum, si magna opus sit incisione. 7mo denique, *Petit* 78), *Autenrith* 79), *Cooper* 80), a media et superiore parte annuli, directe sursum; a linea duabusve ad pollicem usque, ut esset necesse, fibras ejus tendineas, incidebant. Sed quaeres forte, cur tam diversae sententiae sint, de uno operationis puncto? cum omnes ducti anatomicis experimentis, atque proposito scopo, evitandae laesionem arteriae epigastricae; encheiresin susceperint. Forsitan adprobaveris, in tam ardua re, methodum a varia positione funiculi spermatici, indicatam? Recte! Sed scias simul, illam iam a *Lawrencio* 81) ut falsam, nec in usum vertendam, declaratam fuisse. Vel magis placuerit, divisio *Hesselbachii* 82) in herniam externam et internam? nam primo casu, arteria interius, secundo exterius, decurrit. Unde, modo extrortum, modo introrsum, incisio facienda erit; recte! Ast poterisne pro certo determinare speciem herniae? nam post longam

---

71) Crit. Inqniry p. 29.
72) l. c. vol. II. p. 106.
73) Op. cit. p. 354.
74) Op. cit. §. 375.
75) Trait. des malad. Chirurg. tom. II. p. 263.
76) Oeuvr. Op. cit. p. 350.
77) Op. cit. p. 6. Tab. X. fig. 1.
78) l. c. p. 367.
79) Diss. momenta circa herniotom. praecipue circa evit: art. epigas. laesionem Tub. 1799. p. 31.
80) Of ingvin. and cong. hernia.
81) Op. cit. p. 227 in nota.
82) Op. cit.

pressionem, semper aperturam superiorem directe inferiori respondentem invenies; neque funiculus spermaticus index erit, tractus arteriae. Forte decursus vasorum in hominibus sanis, accommodari poterit herniotomiae? sed cave ne erres. siquidem et *Richter* 83) edoctus autopsia cadaverum, falsam statuit regulam. Et *Camper* 84) ait „In „herniis igitur inguinalibus, arteria et vena epiga- „strica versus pubem, a prolapsis intestinis com- „pelluntur.“ His expositis, arteria semper ex latere interno colli sacci decurrente; universim auctores incisionem extra dirigentes, sequimur. Nam etiamsi fuerit hernia interna (quod raro accidit) non erit opus tanta plaga, ut arteria attingatur. Vel dubio casu, imitemur *Rougemontium* 85) svadentem sursum ad paralellam a linea alba incidere. Hanc methodum *Cooper* 86) utpote: quae, arteriam semper conservet intactam; pro regula generali, ad omnes species herniae, applicandam esse censet. Tum *Scarpa* 87) multa post experimenta, ad magnitudinem pollicis, sine damno tamen incidendo; summopere eam laudat. Itaque, praesente incarceratione utraque in apertura, ambae dilatandae. Si in una, altera non tangenda. Si in collo solum sacci, tunc illud si possibile, sine incisione annuli, dilatetur.

Femoralis. Hic Chirurgus adhuc majoribus praemitur difficultatibus, nam multae partes laesioni exponuntur, scilicet: arteria epigastrica, nonnullique praeeunte *Scarpa* 88) ejus ramuli, spermatica, obturatoria, vas deferens et ligamentum uteri rotundum. Merito igitur prisci timentes incidere, dilatando vel scarificando ligamentum *Fallopii*, hanc speciem operandam censebant. Numerosae modificatio-

83) Trait. des hernies p. 125.
84) Op. cit. Lib. II. p. 5.
85) Trait. des hernies. 1788 — Notes sur *Richter* p. 125.
86) Ofíngui. l. c.
87) Mem. II. §. 5.
88) Op. cit. p. 219.

nes juxta *Hull* 89) septem in classes dispescendae sunt. 1mo: Auctores sunt illi, qui, directionem haud indicarunt; sed adinstar inguinalis, *Platner* 90) et alii, perficiebant. *Arnaud* 91) evitandae causa laesionis arteriae epigastricae usus est hamulo. *Pott* 92) superius funiculum spermaticum, exterius arteriam nunc memoratam, vulnerationi exponendo; supra digitum immissum, parvam efficere incisionem svadebat. *Autenrith* 93) ope hamuli *Brinningshauseni*, donec incideret; arteriam et funiculum amovebat. *Scarpa* 94) proveniente incarceratione a ligamento externo; intromisso prius digito, multis in locis illud incidebat. Nec aliter *Schreger* 95) et *Bell* 96), procedebant. Nonnulli transversim aponevrosin, supra arcum cruralem incidendo; methodo proposita ab *Else* 97), a *Law* 98) inprimis instituta, *Ellen Livesseyio* 99) pro admodum difficili et periculosa declarante, in oblivionem tradita; opus perficere conabantur. 2do: Directionem commendantes. *Koch* 100) sursum extrorsum os ileum versus. Et *Sharp* 1), vinctura arteriam sauciatam stringere docens, sequitur illum. 3tio: *Bertrandi* 2) et *Kern* 3) supra introductum digitum, oblique sursum ad annulum abdominalem. 4to: *Hey* 4) et *Lan-*

89) l. c.
90) Institu. Chirurg. rational.
91) Mem. de Chir. l. c. p. 776.
92) Chir. Werke. l. B. p. 332.
93) Op. cit. p. 33.
94) Op. cit. p. 233.
95) Chirurg. Versuche Nürnberg 1811. p. 183. ff.
96) Op. cit. p. 276.
97) *Cooperi* Part. II. p. 17.
98) Edinburg. Med. and. Surg. journal vol. II. p. 205.
99) Med. and. Phis. journ. vol. XI. p. 120.
100) Diss. de hernia crurali. Heidelberg. 1726.
1) Crit. Inquiry.
2) Trattato delle operaz de Chir. Nizza 1763.
3) Annalen der Chirurg. II. B. Wien. 1809. p. 213.
4) *Hull* l. c. p. 88. ff.

genbeck 5) prope internum marginem ligamenti, directe sursum. 5to: *Le Dran* 6), *Heister* 7), *Günz* 8), *Le Blanc* 9) prius ligata arteria spermatica, *Sabatier* 10), *Arnemann* 11), *Monro* pater 12), *Hull* 13) postremus hic, exemplo *Elsei*, facta prius supra arcum parva incisione, retractoque funiculo spermatico. Etiam *Rudtorffer* 14) oblique, umbilicum vel lineam albam versus. 6to: Secundum variam positionem viscerum, erga vasa femoralia. *Chopart* et *Desault* 15) si interius vasorum intrarent; sursum introrsum, si superius vel extra; sursum extrorsum; separando ligamenti ab osse pubis connexum. Hanc methodum, *Richter* 16), *Lassus* 17) et *Callisen* 18), secuti sunt. 7mo: *Gimbernat* 19) intromissa sonda canellata, intestinum inter et marginem ligamenti interni, firmataque supra cristam ossis pubis; manu opposita herniae introducendo herniotomum, horizontaliter dein et caute, ad lineas quatuor vel quinque inciso ligamento, simul instrumenta eximendo; (cavendum, ne tali modo vesica, aut quarto mense uterus gravidus, laedantur) annulum dilatabant. Methodum hanc extremam, opinante *Aliberto* 20) iam a *Lata* 21), propositam fuisse. Quam methodum et

---

5) l. c.
6) Tr. des operat. de Chir. Bruxell. 1745. p. 89.
7) Op. cit. p. 771.
8) Op. cit.
9) Precis d'operat. de Chir. Paris 1775.
10) Op. cit. p. 410.
11) System der Chirurg: Gött. 1798. I. Th. 2. Abth. p. 676.
12) *Langenbeck* Biblioth. I. B. 3. st. p. 891.
13) l. c. p. 24.
14) Op. cit: p. 65—109.
15) Trait. des Malad. Chir; Paris 1779. T. II. p. 281.
16) Op. cit: §. 532.
17) De la Med. Operat. Tom. I. p. 200 ff.
18) Systema Chirurgiae hodiernae Hafn: 1800. T. II. §. 749.
19) Op. cit.
20) Recuil periodique Tom. I. p. 331.
21) A practical system of Surgery Edinb. 1794. vol. I. p. 281.

Scarpa 22) sequitur. *Hesselbach* 23) haerente incarceratione in ligamento interno, omnia transcindere: in externo vero, ligamentum internum nec tangere svadens; in fenimis oblique superius a medio arcus femoralis, in maribus paralelle ab osse pubis, incidere docet. Habita itaque ratione, positionis profundae, et anatemiae hujusce herniae, partibus tam memorabilibus circumdatae; qualemcunque directionem incidendi, modo extra, modo sursum, modo oblique intra, pro periculosa declaramus. Unde patet, ad locum incarcerationis quam maxime animadvertendum esse. Idcirco, proveniente ea ab externa apertura, vel ligamento semilunari; methodus per incisiones, *Bellio*, *Scarpa*, et *Schregero* laudata, praestantior erit: ab interna vero, tunc modus *Gimbernati*, *Scarpae* et *Hesselbachii*, est praeferendus. Ultimo casu, nonnunquam arteriae obturatoriae, sub decursu ejus praeternaturali, hodiedum in sexu sequjori saltem observatae 24), laesio timenda.

In hernia umbilicali, si opus sit dilatatione, sursum sinistrorsum; in aliis herniis, raro eam exigentibus; quoniam desunt vasa notabilia, secundum longitudinem fibrarum muscularium, incisio est dirigenda.

Numerosa adhuc, reductionis partium propulsarum, nunc seorsim enucleanda, obvenire possunt impedimenta.

Adhaesiones Superata angustatione annuli, vel colli sacci, si extra viscera trahi nequeant; adhaesiones, modo inter se, modo cum sacco, sive post annulum, modo multis in locis simul, suspicandae sunt. Aliquando vix distinctionem elapso-

---

22) Op. cit. p. 240. ff.

23) Untersuchung über der Ursprung und die Fortschritte der Leisten uud Schenkelbrü: mit XV. Kupf. Würzburg. 1815 p. 54.

24) *Hesselbach*. Ibid. p. 55.

rum admittentes, *Petito* 25) et *Teutonio* 26), visae. Perspectis diligenter partibus, investigatisque cohaesionibus; tendineae et spongiosae, nunc digitorum, nunc scalpelli: etiamsi post annulum, sedem sibi figant, aucta si opus sit incisione, et eo immissorum ope; destruendae sunt. Caveas tamen ab ejusmodi encheiresi, intestino coeco, aut colo, postico pariete hernias formante. De hac re, consulendus est *Hesselbach* 27), sic monens. „In her„niis scrotalibus, si forte coecum dextro. colon ve„ro sinistro latere inveniatur, utrumque intestinum, „parieti sacci hernialis postico; proxime ac firmis„sime insidet, neque tamen coalitum putes, sed „conformatio potius naturalis habenda“ porro.„ „Herniae ejusmodi, intestina naturaliter conjuncta „continentes, repositionem haud facile admittunt, „atque sub herniotomia separationem vetant.“ Si forte cum vasis majoribus, vel funiculo spermatico invenias nexum; tunc cautus esto in separatione, et imitando *Rudtorfferum* 28), monitum *Garengeoti* 29) opinantis, intestina potius; quam vasa. laesioni exponi, sequaris. In plenis annuli adhaesionibus instrumentorum introductionem impedientibus, in femorali hernia, nexus ligamenti ad os pubis tollendus. Aut in extrema necessitate, methodo *Arnaudii* 30), prius incidendo intestinum, partes liberandae erunt. Etiamsi fortes, carnosas, *Cypriani* 31), omnes scalpello; *Bell* 32) partes contiguas vulnerando, separabant. Sed carnosae accretiones et multae, quae, sine laesione partium vicinarum auferri nequeant; relinquendae erunt. Tales hernias, tractu temporis vel intrantes in cavitatem abdo-

---

25) Op. cit. p. 277.
26) Philosophical magazine vol. XXXVI. p. 316.
27) De ortu et pro. etc. p. 34.
28) l. c. p. 117. Vasa femoralia plane nudá dereliquit.
29) Op. cit. p. 289.
30) *Scarpa* Op. cit. p. 245.
31) I. c. p. 82. et seq.
32) l. c. p. 277.

minis; vel cicatrisantes *Richter* 33) et *Scarpa* 34), viderunt.

Vulumen magnum et indurationes. Si omentum volumine auctum, induratum, intestinaque sint numerosa; ob parvum orificium, angustum cavum abdominis, ob timorem inflammationis, et aliorum malorum; reponere non audemus. Quondam considerabiles massas, *Celsus* 35) causticis vel ligaturis. *Pipelet* 36) vinctura. *Arnaud* 37) et *Le Blanc* 38), ligatione et abscissione. *Sharp* 39), *Pott* 40), sine vinctura, omenti partem resecando, vasa seorsim ligando, reliquum in abdomen compellendo, removebant. *Pouteau* 41) et *Louis* 42), persuasi de noxa ligaturae. *Boudou* 43) ad promovendam magis suppurationem, reclinando omentum supra abdomen; totum opus naturae, committebant. Quorum opinionem, experientia *Heyi* 44) aliorumque, comprobavit. Re vera, velle epiploo ligaturam imponere, esset superata una incarceratione, alteram multo graviorem excitare. Qua in re, *Sabatierum* 45) minime abscissionem svadentem, sequamur. Partes nonnullae retropellendae, ceterae in vulnere relictae 46); administratis continuo clysmatibus, purgantibus pharmacis, diaeta stricta, extus emollientibus, facta macie, longa in lecto mora, positione corporis extensa, sponte sensim intrant; vel cicatrice

---

33) Journal de *Loder*. B. I. p. 19.
34) l. c. p. 236.
35) Lib. VII. cap. 21.
36) Mem. de Chir. vol. III. p. 394. Sur la ligature de l'epipl.
37) Mem. de Chir.
38) Chir. Operat. p. 17.
39) Crit. Inquiry p. 35.
40) Op. cit. p. 312. ff.
41) Mem. de Chir. III. p. 75.
42) Mem. de Chir. IV. p. 315.
43) Mem. de Cir. III. p. 74.
44) l. c. p. 180 et seq.
45) Op. cit. p. 401.
46) Diction. des sciences medicales vol. XXI. p. 153.

larga persanantur. Vulneratis casu partibus, vel extirpatis hinc inde suspectis indurationibus; vasis sanguinem stillantibus, ligaturae imponendae sunt.

Coarctationes intestinorum fere cartilagineae, a compressione exortae, uno, vel multis in locis *Lassusio* 47) observatae; molles repellendae, alias duce *Richtero* 48), transcindendae sunt.

Aliquando folliculi, vel processus intestinorúm, parietibus membranaceis duris, calosis, majori minorive diametro instructi, obvenientes; ob effluxum faecum, sive originem fistulae; cultri admotionem vetant. Sed ita reponendi, aut leni vinctura, monente *Richtero* 49), constringendi sunt.

Corpora extranea, acus, vermes, drupae, frustula ossium 50), acuminata incisis intestinis, eximenda sunt. Alias leniter retropellantur.

Faeces induratas, *Jonas* 51) tricuspidis ope intestina perforando, eximebat. Sed potius extracta nova portione intestini, emollitio digitorum ope, tentanda est.

Gaza copiosa, multum intestina distendentia, methodo *Lowe* 52), factis puncturis acus ope, emittimus. Vulnera intestinorum, sutura nodosa claudantur.

Gangraena. Inflammatio haud impedit reductionem intestinorum; immo ocyus sub temperatura et humiditate ventris, resolutionem ejus obtineri, auctores existimant. Color nonnunquam fusco ruber 53), nigricans, operantibus *Acrelio* 54), *Thedenio* 55) et *Lawrencio* 56) visus,

---

47) l. c. p. 28.
48) Op. cit. §. 389.
49) Ibid. §. 506.
50) *Maucharti* Opuscules de Chirurg. part. II. p. 165.
51) *Loders* Journal IV. p. 85—106.
52) Discourse of the Chir. Lond. 1597.
53) Chir. Wbarnehm. tom. II. p. 293.
54) Chir. Vorfälle tom. I. p. 395.
55) Neue Bemerkungen etc. part. I. p. 95.
56) Op. cit. Obs. I. p. 245.

potest gangraenae, licet non adfuerit, timorem incutere. Ne itaque inter se permutentur, praeter alia signa, en tabulam distinctivam adjungimus.

INFLAMMATIO.	GANGRAENA.
1mo: Structura intestinorum normalis 57).	1mo: Mollis, cedit praementi digito, et parietes facile rumpuntur.
2do: Evacuata vasa, iterum cruore turgent 58).	2do: Sanguine destituta, amplius non replentur.
3io: Color aliquando profunde nigrescens, adinstar ciocolatae.	3tio: Ex integro niger, vel griseus.
4to: Odor animalis.	4to: Cadaverosus.
5to: Superficies intestinorum splendet.	5to: Spoliantur splendore, uti cornea morientis 59).
6to: Nullae observantur pseudomembranae.	6to: Raro partes inter se, aut cum contiguis carent adhaesionibus.

† Si una tantum particula gangraena afficiatur, examinandum est: an adsint adhaesiones contractae cum annulo, partibusve vicinis, nec ne? Si adfuerint, non tangendae, solummodo apparatus deligatorius solicite permutandus. In summis angustiis, ad liberum effluxum faecum conciliandum, *Travers* 60) aperturam ampliare commendat. Absentibus cohaesionibus, omnes partes reducendae, affectae statim post annulum relinquendae sunt. Neque ligatura per mesenterium, a *Meryo* 61) et aliis, quondam in usum versa, tra-

57) *Richteri* Op. cit. §. 385.
58) *Lawrencii* Op. cit. p. 246.
59) *Travers.* Inquiry in to the process of naturae in repairing injuries of the intestines p. 263.
60) Ibid. p. 300 et seq.
61) Acad. reg. societ. ann. 1701 p. 372.

ducenda est. Nam experimentis *La Fayi* 62), *Desaulti* 63), *Traversi* 64), nec partes ab annulo recedere, neque effusionem faecum in cavo abdominis contingere posse, constat. Etiam *Le Drani* 65), *Cooperi* 66), demonstrationibus anatomicis, et observationibus *Scarpae* 67) ac *Traversi* 68), edocti; usum ligaturae mesenterii pro superfluo habemus. Particulae impositio vincturae, ob coarctationem luminis intestini; non concedenda. Neque *Acrel* 69), post reductionem intestinorum, svadens clysteres nutrientes, summam abstinentiam, modo ab alimentis, modo poculentis, audiendus esse videtur. Sed potius diaeta plena, nutriens 70), ad praecavendam angustationem intestinorum, permittenda est.

In gangraena totius ansae intestinalis, quondam restaurandi causa tractum intestinorum, *Guy de Choliac* 71), *Duverger* 72), frustulo arteriae asperae. *Ritch* 73) carta vernice obducta. *Watson* 74) ichtyocolla, utebantur. *Lapeyronie* 75) ligaturam per mesenterium transmittebat, eamque annulo firmabat. *Littre* 76) explorata prius duodenali parte, tribus in locis ad annulum abdominalem assuta, constrictaque inferiore, anum artificialem procurabat. *Ramdhor* 77) superiorem extremi-

---

62) Cours des operat. de *Dionis* p. 285.
63) Journal de Chir. vol. II. p. 366.
64) Op. cit.
65) Obs. de Chir. 59. obs.
66) Part. I. p. 36.
67) Mem. IV. §. 13.
68) Op. cit. p. 296.
69) Der Koenigl. Schwedisch. Akad. neue Abhandlungen tom. VIII. p. 36.
70) Diction. des scien. med.
71) Op. cit.
72) Acad. de Chir. t. III. p. 188.
73) Acad. de Chir. t. IV. p. 177.
74) Med. communicat. vol. II.
75) Med. de l'Acad. de Chir. vol. I. p. 337.
76) Med. de l'Acad. des sciences ann. 1700.
77) *Moebi.* Diss. var. obs. Chir. Helmst. 1730.

tatem, immittendo inferiori, jungere conabatur. Quae methodi perdifficiles executu, perimentes intestinorum functionem, angustantes lumen eorum, destruentes adhaesiones, excitantes innumerabilia incommoda; habituales colicas, mortemve ipsam; producentes novam irritationem, a *Petito* 78). *Richtero* 79), *Scarpa* 80), *Lawrencio* 81) et multis aliis: non solum ut inutiles, sed ut noxiae notatae, rejiciendae sunt. Sed universim, visis cohaesionibus cum annulo, duntaxat deligatione et extersione, utendum erit. Deficientibus adhaesionibus, (quod raro accidit) escharam gangraenosam amovendo, reliqua admotis extremitatibus, in cavum abdominis propellentes, totum opus naturae committimus. Si ligatura, praecipue in jejuno vel ileo, videatur esse necessaria; in quatuor vel quinque punctis filo sericeo, aut continua intestinorum junctio, abscissis extremis, a *Lawrencio* 82) praefertur.

In gangraena omenti, nec ligaturis nec abscissioni favemus. Sed partes sanas, relictis affectis extra, retroponimus; aut totum omentum compellimus; commendantes flexo corpore decubitum, annulumque ad liberum exitum puris apertum tenentes. Si suboriantur abscessus, solito more curandi erunt.

REDUCTIO PARTIUM

Amotis omnibus impedimentis, praemissaque exploratione digiti, *Scarpa* 83) specilli, capitulo praemuniti ope, per annulum immissi; ne incar-

---

78) Op. cit. p. 358.
79) Op. cit. §. 346.
80) Traduit de M. *Cayol* p. 302.
81) Op. cit.
82) Ibid. p. 350.
83) Op. cit. p. 233.

ceratio adsit interna, bene perspectis visceribus propulsis; mixta leniter explicando, epiploon formans saccum 84), sive ansas; extricandum est, vel incidendum. Alii reponunt aegrum in latus oppositum, sed congrua est eadem positio. *Bell* 85) magis pelvim elevare contendit. Protractis aliquantulum intestinis, in femorali *Cooper* 86) primo posterius, dum aequantur ligamento, interius premere conatur. *Hesselbach* 87) posteriora et superiora versus: in grandioribus vero herniis, principio posterius, dein interius, pellere nititur. Deinceps indicibus utriusque manus, prope annulum collocatis; oblique in inguinali, sursum in femorali, directe in umbilicali, viscera in abdominis deprimuntur cavum. Nec semper sufficit, in repositione sequi incisionis directionem. Aliquando intestina ex latere opposito intrant: ut *Hallero* 88), coecum in annulo sinistro; nonnunquam contorta 89), visa sunt. Facta repositione, iterum digito immisso exploretur annulus; ne incarceratio subsit in collo sacci: aut ne partes musculos inter et peritonaeum 90), intrent.

Haemorrhagia. Sauciatam arteriam, modo evidentem, modo occultam, nonnunquam lethalem producentem haemorrhagiam, *Bell* 91) ligatura, alias certissimo remedio, hic, ob difficilem in extenuatis, impossibilem in obesis applicationem, ut opinatur *Scarpa* 92), vix locum inveniente, intercipiebat. *Günz* 93) grummulo lin-

---

84) *Richter* Tr. des her. p. 133.
85) Op. cit.
86) Of crural. etc. l. c.
87) Untersucht. l. c. p. 53.
88) Disput. Chir. select. tom. III. p. 32.
89) *Lassus* Patho. Chir. p. 30—31.
90) *Pelletan* Op. cit. p. 333.
91) Op. cit. p. 277.
92) Op. cit. p. 230.
93) Op. cit.

tei carpti. Rectius *Rudtorffer* 94), frustulo conico spongiae, linteo obvoluto. *Sabatier* 95) vulgo (bourdonnet) stiptico liquore humectato, digitoque retento. *Schindlerus* 96) tenaculae ad extrema pilis (pellotes) praemunitae. *Chopart* 97) deficiente alio instrumento, simplicis volsellae; altero extremo pila, altero linteo adornatae ope, supprimere conabantur. Interna haemorrhagia, digito haud facile dignoscenda, patefecit aditum *Hesselbachio* 98), excogitandi instrumenti, ad eam detegendam, retinendamque, duobus e ramis compositi. Cujus temperata et oleo inuncta, ad latus inclinata cochlea, secundum longitudinem vulneris introducitur. Investigato haemorrhagiae fonte, subductaque superficie interna cochleae labio vulneris, rami admoventur.

DELIGATIO.

Terminata operatione, *Francò* et *Paraeus* 99) timentes reditum herniae, sutura cruenta. *Freitag* 100) sacculo prope annulum ligato. *Senff* 1) et *Heuermann* 2), abscisso infra vincturam, annuli oppilabant ostium. Scarificatione *Haller* 3) utebatur. *Richter* vero, dum sacculus non conciditur, ad consequendam curam radicalem, annulum 4), dissecto sacco, collum ejus 5); scarificabat. *Garengeot* 6) turunda linteo carpto involuta.

---

94) Op. cit. p. 68.
95) Op. cit. p. 255.
96) Diss. de herniis observationes Viteb. 1796.
97) Chir. Operat. II. p. 357.
98) Beschreibung und Abbildung eines neuen Instrum. zur sicher Entdeckung. etc. Würzb. 1815. Tab. 1. 2.
99) Op. cit.
100) Diss. de Oscheo-entero et bubono-cele Arg. 1721. p. 72.
1) *Günz* de herni. p. 48.
2) Abhandl. von Chir. Op. I. B. p. 532.
3) Diss. Chir. III. p. 90.
4) Tr. des hern. p. 191.
5) Op. cit. Wundarz. §. 396.
6) Operat. Chir. cap. de Bubono-cele.

Wiedemann 7) relinquens donec sponte exeat, et *Koch* 8) cum vi introducendo, operire annulum nitebantur. Sed iam *Petit* 9), deinceps *Le Dran* 10), irritationem partium, compressionem funiculi, vasorumque, impossibilitatem exitus puris et curae radicalis impedimentum, perspicientes; loco turundae, globulum lintei carpti, imponebant. Methodus saccum in abdomen compellendi, ob recidivam herniae, laesionem partium contiguarum, ut periculosa declaranda est. Demum marginum callosorum incrassatorumque sacci, a *Bellio* 11) et *Lawrencio* 12) mutilationem commendatam; experientia *Richteri* 13), comparentibus subinde cicatrisationis plagae, suppuratione et retractione marginum, haud probat. Aliisque ut minus congrua 14) creditur. Nos vero, praeeunte *Cla. Prof. Pelikano*, omnes hasce modificationes: modo ut minus necessarias, modo ut nocivas declarantes; praeferentes coadunationem vulneris per suppurationem, permittentesque nonnunquam resectionem marginum sacci morbose incrassatorum, simplicissime deligamus

Indicationes. Incarceratio herniotomiae ut supra monuimus, a *Wisemanno* ut recta indicatio admissa est. Aliorum observationibus hac deficiente, pro cura solum radicali institutam operationem, multo periculosiorem esse, certum est. Ideo *Lawrence* 15), auctoritate *Acrelii* 16), *Aber-*

---

7) Lib. de Lithoto. et Herniot. p. 144.
8) l. c.
9) l. c.
10) Obs. Chir. t. II. p. 37.
11) l. c. p. 264.
12) Op. cit. p. 251.
13) Op. cit. §. 395.
14) Diction. des scien. med. p. 151.
15) Op. cit. p. 99.
16) Lond. Med. Journal. vol. III. p. 13.

nethyi 17), *Petiti* 18) et sua experientia certior redditus; aegros hernia incarcerata laborantes, conservandae vitae gratia, sese submittere operationi: e contra, affectos hernia mobili, ad evitanda incommoda, vitam periculo exponere, contendit. Accretio contentorum in tumore, et impossibilitas admovendi bracherii, exigere videbantur novam indicationem manus chirurgicae; nisi experientia in completa adhaesione, hanc omnino rejecisset. Tamen praesente nexu in uno puncto, simulque excitante multa incommoda, *Meckelo* 19) et *Richtero* 20), usus scalpelli necessarius esse creditur. Adhibita audacter medela ad operationem confugiendum esse, convenit inter omnes. Ita *Heister* 21). „ „Si vero medicamenta, dicit, una cum sanguinis „missione, nihil post viginti, vel viginti et qua„tuor horas proficiunt, verum omnia potius in „deterius ruunt, properandum utique ad operatio„nem chirurgicam est." Efficacissima remedia propinare, simul ne diu tentetur taxis *Desault* 22) monet. Itaque operando quarto, quintove die incarcerationis, bono successu: e contra, ubi magna adfuerant repositionis tentamina, primo die successu deterrimo. Sperari posse bonum exitum, si ante operationem nil tentatum fuerit, effatus est. Iterum auctores unanimiter, magis ex nimiae morae, quam ipsius operationis effectu, aegros mori autumant. Idque *Calliseni* 23) scripta probant: „Certum hujus operationis periculum de „nimia operationis dilatione pendet, si aegroti „iam viribus exhausti, partes elapsae gravissima

---

17) Surgical observations part. II. p. 5. et seq.
18) Op. cit. p. 354—257.
19) De morbo hernioso congenit. singular. Berol. 1772.
20) Op. cit. §. 441.
21) Op. cit. cap. CXIV. p. 74.
22) Oeuvres Chir. t. II. p. 353.
23) Syst. pars post. p. 478.

„phlogosi in gangraenam prona correptae, et mor„bus ad reliqua contenta abdominis propagatus fue„rit.“ Idem multi alii vituperantes nimiam cunctationem herniotomiae, hinc inde adferentes funesta exempla, merito legendi sunt 24). Et numerus operationum *Cl. Heyi* 25), magis hanc opinionem confirmare videtur. Initio praxeos, posita actione scalpri, pro ultimo remedio, inque summo vitae periculo tentando; inter quinque operatos, tres vitam cum morte commutasse, ait. Porro majorem experientiam adeptus, secundo tertiove die vocatus; duas tantum terendo horas, ad tentandam venae-sectionem clysteresque tabacinos; inter novem, duos duntaxat se deplorasse, dicit. Denique quinque et triginta peractis operationibus, semper se poenituisse nimis tardae operationis, nunquam vero nimis citae, subdit. Non dari igitur in Chirurgia aliquid tanti momenti, ut est determinatio temporis instituendae herniotomiae; neque expertissimos hac in re Viros, pro certo rem determinasse; *Bellio* 26) libenter adstipulamur. Videlicet: sexta, octava, decima die, sponte sanatum iri; item operationis, decima quinta 27), vicesima secunda 28), exoptato successu institutae, visa sunt exempla. Contra vero, spatio quadraginta octo horarum, quin immo, primis viginti quatuor horis exitus intestinorum, *Bell* 29) gangraenam observavit. Sistitque regulam, ut Chirurgus licet eo ipso die vocetur ad aegrum, tribus quatuorve destinatis tentamini aliorum remediorum horis, si effectu careant; totam spem in operatione quam citis-

---

24) *Pott.* Works. III. p. 286. — *Bertrandi.* Tr. des operat. p. 21. *Wilmer.* pract. obs. on hernia p. 75 aliique multi.
25) Op. cit. p. 145.
26) Cours complet. de Chir. t. I. p. 162.
27) l'Acad. de Chir. T. IV. p. 243.
28) *Saviard.* Obs. 20. p. 112.
29) Op. cit. p. 165.

sima ponat. In tam difficili casu, ubi per singula momenta periculum vitae crescit, ut congruum admovendi scalpelli designemus tempus; sequentia praemittenda sunt. Indolis incarcerationis ante omnia opinante *Richtero* 30), ante oculos habenda est. Inflammatoria scilicet, summo, minori spasmodica, multo minori faecalis, stipantur periculo. Gravissima symptomata rapide sibi succedentia, tumor minime attactum perferens; non solum ob imminentem gangraenam, sed et ipsam phlogosin, haud differendam designant operationem. Aliquando tamen minus gravia symptomata, discrimine haud carent 31), gangraenaque vix succedentibus doloribus, nec evoluta febre 32), visa est. Nec effectus medelae, juxta *Desaultum* 33) tumore eandem resistentiam duritiemque conservante, et symptomatibus universalibus in pejus ruentibus, levi pendendus est. Nec hic finis: herniae parvae, recentes, aut principio bracherio retentae, ex causa traumatica subito ortae; citissime primo nychthemero observante *Lawrencio* 34), gangraena corripiuntur. Contra vero, inveteratae, voluminosae, ultno elapsae, saepius repositae iterum redeuntes, non facile incarcerantur, atque si id accidat, non tam cito manum chirurgicam exposcunt. Quo constitutio aegri robustior, fortior, aetas magis provecta 35), ob defectum nutritionis, aut adsint causae, nullo alio remedio abigendae, eo properantius operandum est. Porro, species herniae consideranda est. Sic, incompletae a completis, intestinales ab omento - intestinalibus, adhuc magis puris omentalibus, ut periculosiores, neque procrastinationem admittentes, considerantur. A loco exitus viscerum multum pendet. Femoralis praeter

---

30) Op. cit. §. 353.
31) Chir. Bibliot. 8. B. p. 95.
32) *Steidele* Beobachtungen 2. B.
33) Oeuvr. Op. cit. p. 287.
34) Op. cit. p. 156.
35) *Lassus.* Patho Chir. p. 21.

difficultatem operandi, testantibus *Pelletano* 36), *Heyio* 37), *Lawrencio* 38), ob aperturam annuli vix instrumentum admittentem; gravius incarceratur, et citius gangraena consumitur. Non absque ratione igitur *Cooper* 39) in femorali, ob angustiam loci, et defectum elasticitatis partium, pharmaca minus efficacia esse, contendit. Cunctationemque periculosiorem quam sit in inguinali, existimat. Observans quatuordecim aut viginti inter horas, funestos exitus: „Si egomet, ait, hernia „femorali afficerer, usus fuissem clysmatibus solum „tabacinis, atque his nihil agentibus, operationi in„tervallo duodecim horarum, me submitterem 40).“ Sciendum demum est, aegros non tantum ex gangraena mori: sed febre, summis doloribus, continuo vomitu, anxietate, medendi ratione, nutritione denegata, defectu virium 41), convulsionibus 42), febreque biliosa 43), extingui posse. Quibus praemissis, unicuique fit palam, herniotomiam poscere multiplicem experientiam, acumenque ingenii operantis. Verum enim vero adhibitis efficacissimis remediis, atque in statu inflammatorio nil valentibus, primo nychthemero operatio non est procrastinanda. „Quid? quod si primo die, ait: *Cla.* „*Richter* 44) pharmaca nihil praestiterint, liceretne „sperare ut praestent postero?“ Scias simul naturam hic nihil efficere, et increscente per singula momenta malo, vitam aegri ex tempestiva admotione scalpri pendere. Donec finis huic argumento imponatur, liceat in medium proferre non dispar

---

36) Op. cit. p. 439.
37) Op. cit. p. 150.
38) Op. cit. p. 421.
39) Part. II. p. 15.
40) Ibid. p. 32.
41) Mem. de l'Acad. de Paris t. XI. p. 200—398.
42) Med. Obs. et Inquiry. vol. IV.
43) *Richter* Op. cit. §. 357.
44) Nov. Comment. t. 3. p. 63.

nostro *Richerandii* 45) placitum. „Satius est, ait, „operari herniam, quae, sine operatione sanari possit, quam per dilationem temporis, in discrimen „gangraenae exponi aegrum."

Finem dissertationi impositurus, praemissa prius brevi descriptione operationis herniae inguinalis incarceratae, utpote frequentissime occurrentis; inque Clinico nostro, hisce duobus annis peractae; nonnulla exempla appendicis loco afferenda, existimavi.

Ipsa operatio inguinalis.

Jam vero a priori, quaecunque fuerit species herniae, decreta admotione scalpelli, totoque apparatu rerum necessariarum adornato, videlicet: scalpro acie convexa, cultello nodulo praemunito, cui nomen *Potti* passim inditur, herniotomo ac forfice *Richteri*, eaque vulgari, herniotomo *Dupuytreni*, sonda canellata flexili, volsella solito anatomica, hamulo *Bronfieldii*, multis filis sericeis, ad constringendas rite arteriolas, instrumento *Hesselbachii* ad arteriae epigastricae casu sauciatae intercipiendam haemorrhagiam, aqua frigidiuscula, oleo olivarum, taeniolis emplastri adhaesivi, splenio e linteo quater plicato, multo linteo carpto, fascia inguinali, luceque si opus sit artificiali; ad operationem accedendum erit.

Evacuata urina, resupinatus, divaricatis flexisque cruribus, inclinato pectori mento, mensae chirurgicae incumbit aeger. Adjutores e lateribus adstantes flexa crura bini, tot alii, manus totumque retinent corpus; dein adjuvando operatori, suppeditandis modo congruis instrumentis, necessarius erit unus. Abraduntur pili pubis. Operator multum diducta inter iacentis crura, atque hoc modo commodius, quam e latere (ut nonnulli praecipiunt) acturus, consistit.

---

45) Nosographie Chirurg. vol. II. p. 450.

Pollice indiceque sinistrae, cutim supra tumorem intendens, tribus vero digitis manus dextrae, scalpelli modo laudati adinstar plumae scriptoriae comprehensi ope Chirurgus; distantia unius pollicis incipiendo supra annulum abdominalem, incidit integumenta: directione obliqua, a superioribus exterioribus, interiora inferioraque versus per tumoris medium ad scroti fere fundum, (caute tamen, ne tunica vaginalis aut testiculus laedantur) plagam efficit. Removendo labia vulneris textum cellulosum, fibrasque cremasteris, reiteratis vicibus suspensa manu, vel nonnullas super subducti specilli, transcindit sulculo. Minister leniter aqua frigidiuscula imbuta spongia, continuo sanguinis accumulationem inhibet. Vel majores forsan transcissi arteriae pudendae externae ramuli, eodem e vulneris labio 46), rapidius humorem vivum fundant; statim hamulo prehensi, (alias digito actu operationis compressi, exorto spasmo retracti, neque facile investigandi, haemorrhagiae post deligationem ansam praeberent), vinctura stringantur. Cum cautela et patientia denudati incisio sacci, integumentorum respondeat plagae. Explorata fluctuatione infimae partis tumoris apice digiti, in uno puncto, volsellae extremitatibus arripiuntur particulae sacci, atque lamellatim cultellus plano horizontaliter inclinatus, prope instrumentum transcindit. Jam continuo foveolae spongia cruore absorbto, paries extenuatur. Donec ultima facta incisione, cavitatem inundans sacci, veniat guttatim in conspectum liquor. Comparente intestinorum omentive superficie, canellatum specillum per sacci vulnusculum immissum, praemente apice faciem ejus internam ducitur sursum: inque sulculum inditi cultelli *Potti* ope, paries anterior sacci; aut si laxus difficultatem ita exequendi pare-

---

46) *Camperi* Op. cit. Tab. XIII. orig. et tract. vasorum indicat.

ret. forfice in sondae cannula ducta, conciditur. Itaque sensim ad annulum ferme dissecatur sacculus. Quo facto (intelligendum hic est, instrumenta semper oleo inungi debere) indice incarcerationis exploratur sedes. Qua detecta, arripitur manu dextra praevia particula colli sacci, trahiturque extra simul aliquid sursum. Interea sinister index, aut si hic nequeat, canellata leviterque flexa sonda, rotatim ac lente introducitur, institutisque aliquot motibus lateralibus, supra laevam volam firmatur. Dein partes superantes specillum, amovet magister, tribusque operantis digitis dextris, modo laudatus *Richteri*, primo casu plano situ, altero in sondae sursum spectantem sulculum, immittitur herniotomus. Quo peracto, retenta fortiter sonda cultellique ad aliquot lineas intromissi, sursum et pauxillum extrorsum manubrio presso, levis facile percipiendus fragor, liberque motus specilli, divisas annuli aponevroticas designant fibras. Sic linearum trium quatuorve, facta pro necessitate incisione, una educuntur instrumenta. Intromisso insuper digito examinatur annulus. Partes extricatae beneque perspectae, aliquid ex interioribus, modo videndi compressum locum, modo conciliandi causa, majus contentis in lumine intestinorum spatium, manus proximae herniae tribus digitis supra, tot alterius infra applicatis, inclinando tantisper in latus; extus superiusque trahuntur. Demum indices, dexter et sinister prope ipsum annulum ponuntur, atque alternis blande et leniter elapsa viscera in abdominis, directione obliqua sursum extrorsum, ordine anatomica, compelluntur cavum. Reductis partibus, iterum immisso digito exploratur annulus, ac detectum aliquod impedimentum, nunc digito, nunc indito superatur cultello. Deligatio est simplex. Sedulo perspecta haemorrhagia, constrictis arteriolis chordis musicis, sanguinem stillantibus forsan, earumque extremis abscissis, mundata superficie plagae ac integumentorum; grumınulis lintei carpti, oleo olivarum imbuti, adimpletur vulnus. Superque ejus hiantia labia, taeniolis emplastri adhaesivi ad

moventur. Vulnus ad hunc modum compositum, cooperitur multo linteo carpto, tantisper oleo humectato, superimponitur splenium quater plicatum sub scrotum extensum usque, et omnis apparatus deligatorius, fasciae in forma T, retinetur ope. Quiete, horizontaliter supra dorsum, flexis cruribus decumbat aeger. Alvus modo clysteribus, modo pharmacis laxantibus, oleosis, moveatur. Apparatus deligatorius, si complicatio non adsit, quarto, quintove die mutetur. Ulterior cura ad praecepta aliunde nota absolvatur. Dein persanatus aeger, cumque e lecto surgat; bracherium nec per momentum temporis negligendum, portet monendus quam diutissime.

Observatio I. Piscator quidam viginti duos annos natus, septimo iam aetatis suae anno, herniam inguinis dextri sponte introgressam, expertus est. Negligens deinceps per longum tempus usum fasciae, MDCCCXXII aprilis XV, pondus grave sublevando, sensit iterum cum vi prosilientem tumorem. Quarto die sine ulla medela ad Clinicum apportatus, herniam inguinalem inflammatoriam prae se tulit. Praemissa congrua cura et omnibus in pejus ruentibus, aegro sub initium operationem recusante, curam solitam continuavimus. Sed hora decima nocturna, animadvertens imminentem interitum, coepit exposcere *Cl. Prof. Pelicanum*, atque extemplo illato lumine, peracta est operatio. Intestinum coecum, et pars omenti, inflammata reposita erant. Congrue pertractatus, die XI Maij, sanus e Clinico exiit.

Observatio II. Ejusdem aetatis Propola, natus cum hernia inguinali sinistra mobili, neglecto usu bracherii, concitato ambulans passu, incarcerationem ejus incurrit inflammatoriam. Chirurgus quidam in cassum omnia tentabat, et per momenta invalescentibus incommodis die quinta morbi, MDCCCXXII Septembris XXVII, ad Clinicum receptus est, atque sine cunctatione operatio instituta. Reductis, intestino et omento substantiae tantisper corruptae et respondente incommodis medela curatus, die XXII Octobris, sanus Clinicum reliquit.

Observatio III. Quatuor et viginti annorum vir, sex ante annos herniam in sinistro inguine et bis iam incarceratam passus, levi pendens usum fasciae, X Maij, hujusce anni post lautum prandium et propero gressu, hora quarta pomeridiana, denuo incarcerationem excitavit. Extemplo curabatur a *Cl. Professore* Chirurgiae, et vespere susceptus ad Clinicum, non tam gravia symptomata tantisper mitigata, herniae faecalis exhibens, cubitum concessit sub methodo incepta. Mane hora quinta superaccedens inflammatio, summas procreabat molestias. Nec multum in therapia terendo temporis, hora septima antemeridiana operationi subjectus, intestino tenui omentoque reductis, dein solito more persanatus, XXX Junij Instituto valedixit.

Observatio IV. Duodeviginti hortulanus numerans annos, dextri inguinis anno superiore herniam incarceratam passus, in hoc ipso Clinico, remediis modo internis, modo externis sanatus; MDCCCXXIII. Die VI Maij, iterum frigidis in prandio repleto ventriculo nutrimentis, neque bracherium gerens, circa tertiam horam gravibus dans operam laboribus, pristino afficitur morbo. Advocat Medicum, qui, non absimilem herniae incarceratae inflammatoriae inchoat medelam. Sed hac nihil praestante, sequenti die hora 10 matutina instituitur operatio. Sed mala alite! licet expeditissimae subjiceretur curae, inter continuos tamen dolores, incommodis per momenta invalescentibus; non iam par operationi, tertia luce animam efflavit. Secto cadavere, ansam ilei gangraenosam, duobus in locis pseudomembranulis junctam, peritonaeum et alia intestina phlogosi detenta, cavumque abdominis multo inundans pure, invenimus.

Assidua observatio in actu Herniotomiae, nec non curriculo ulterioris Therapiae, impulit nos hic adnotare ea, quae digniora memoratu contingere possent.

I. In quatuor supra allatis exemplis, licet iam pridem *Haller*, *Wrisberg* multique alii, her-

nias congenitas observasse contendant; nos semper comparente sacco ex tunica vaginali formato, eoque adaperto, testiculo in contactum cum intestinis veniente, (in primo exemplo omnino deficiente) non absimilis generis invenimus. In eo ipso exemplo, alter saccus verus, tunica vaginali inclusus, raro solum *Heyio* et *Coopero* visus; licet tantum lumen candelarum adhibitum fuisset; dexteritate tamen manus, expertaque acie oculorum *Cl. Professoris* operantis, punctura acus distinctus ac resecatus fuit.

II. Quidquid dicant auctores, contra marginum sacci excisionem, opponentes suppurationem tempore coadunationis vulneris obortam, atque retractionem eorum: nos tamen dari nonnunquam exempla, ubi callosi margines velamenti peritonaealis excindi debeant, experimentisque probantes; superficiem internam secundi sacculi hydatidibus obtectam, (primae observationis nostrae) induratos margines removere coacti, opinamur.

III. Ex his observationibus luculenter patet: hominibus hernia semel detentis, vel per momentum horae bracherium non abijciendum esse; et licet omnes quatuor nostri aegri, consiliis medicorum haud caruerint; mors tamen vel scalpellum, de hac re admonuit.

IV. Hydro-celen simul cum hernia subinde existere posse, humoris primo et secundo exemplo, vix aut ne vix aliquae guttulae, tertio, circiter tres unciae, quarto plus quam uncia, comprobant. Tum etiam commonstratur, quo major copia sit liquidi, eo faciliorem sacci apertionem esse.

V. Utroque in annulo, (tertio et quarto exemplo rem confirmante) viscera ex abdominis cavo elapsa incarcerari posse; atque dilatato externo, multum vero laboris herniotomo *Richteri* exhibente interno, sed cedente facile herniotomo *Dupuytreni;* posterioris instrumenti actionem quodammodo praeferendam esse, enitescit.

VI. Livor intestinorum, secundae et tertiae operationis, cum admiratione commilitonum adstantium observatus, haud caruerat exoptato effectu

contra vero, in quarto exemplo, ansa intestinalis obscure splendens, substantia parietum haud dilacerabili praedita, neque alia signa praesentiam gangraenae sub operatione designantia, verisimiliter summa inflammatio proximâ gangraenae, aderant. Nec adhaesiones; firma ad posteriorem partem tunicae vaginalis forfice expedita; duae in autopsia cadaveris, ansam ilei unientes detectae, pro gangraena argumentantur. Prima antiquior esse videtur, nam spatio undeviginti horarum, non foret tam firma; reliquae praeviae summae phlogoseos, post operationem exortae, ut exitus sunt considerandae.

VII. Ex his quatuor observationibus, merito deducimus; post operationem succedere debere, majorem minoremve inflammationem intestinorum, peritonaei, vel multorum simul viscerum. Quod confirmant, phlogoseos propria symptomata, cura antiphlogistica cum successu administrata, ex tertio exemplo, abscessus in superiore vulneris parte formatus, gangraena ex quarto, et inflammatio ad peritonaeum, atque ad reliqua intestina propagata, nec non cavum abdominis copioso extravasato purulento inundans.

VIII. Complicationes semper gravioribus periculis stipari. tertia et quarta observatio, herniae ab initio indolis faecalis, accedente dein inflammatoria, citius vitae finem imponere, facile illustrat. Praeterea opinio in indicationibus allata, scilicet: operationis tempus multum a partibus in hernia contentis pendere, clare comprobatur. Siquidem, in primis duobus exemplis, licet herniotomia quarto quintove die instituta fuerit, tamen sanitas operationem coronavit; in ultimo vero, intestinum sine omento incarceratum, mox in gangraenam versum fuerat. Hic loci, nobis omentum bis in annulo abdominali sinistro, semel in dextro visum, quodammodo opinionem *Vésalei*, *Riolani*, aliorumque; saepius illud in primo, multo rarius in secundo obvenire, probat. In quarta observatione, etiamsi aegrotus non tam gravia symptomata exhiberet, atque vomitum semel tantum pateretur, tamen breviori temporis spatio, majorem phlogosin intestinorum; quam in aliis su-

pra commemoratis aegris, gravissima sua symptomata nobis ob oculos ponentibus, operationis actu animadvertimus. Idcirco, primis aegris multa incommoda, frequens vomitus, trahente ventriculum omento incarcerato, accidisse videntur. Cum interea postremus aeger, nil ejusmodi prae se ferret.

IX. Denique, omentum licet in parte gangraena affectum sit, absque ligatione vel abscissione, relicto orificio annuli aperto, reponi posse; secunda admodum memorabilis observatio, probare videtur. Diebus videlicet: secunda et tertia operationis, sub continua inspectione symptomatibusque n pejus ruentibus, methodo antiphlogistica pertractabatur. Donec quarta die summae angustiae, et alia signa internae incarcerationis obvenissent. Cum praesto semper esset egregius noster *Professor*; remoto apparatu deligatorio, cercolus per annulum immissus, nonnullas guttulas ichoris viridescentis; postea turunda indita, vespere conspicuum frustulum omenti sphacelosi, cum copioso pure non sine levamine aegri, eduxere. Et sic porro, diebus quinta, sexta, numerosa summe foetentis epiploi frustula; inter quae, magis considerabile unum, in longitudinem diametri quinque, transversi trium pollicum, exierunt. Demum de die in diem in melius vertebatur, brevique tempore aeger plane sanatus fuerat.

THESES

I.

Certa signa, fixumque tempus instituendae herniotomiae non dantur.

II.

Intestinis gangraena correptis, vincturae non snnt imponendae.

III.

Os uteri arte dilatare, res semper periculosa est.

IV.

In animalium majores medenti, quam in hominis curandis morbis, obveniunt difficultates.

V.

Sensibilitatis vim ab irritabilitate omnino distinguendam esse, neque universo irritabilitatis nomine utramque posse comprehendi, contra *Broussaeum Cl.* Virum contendimus.

VI.

Diversa nervorum unam qualemcunque partem adeuntium origo, diversam et multiplicem ejus indicat functionem.

VII.

Diathesis plicosa si non identitatem, saltem magnam affinitatem cum cancrosa habet.

VIII.

Varia pharmaca vegetabilia, non aliter nisi adjuyando actionem mercurii, luem veneream depellunt.



DE

MOXA JAPONICA AC SINENSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS CHIRURGICO-PRACTICA

QUAM

IN CAESAREA LITTERARUM UNIVERSITATE VILNENSI

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE RITE OBTINENDUM

PUBLICE DEFENDET

ANTONIUS BARANOWSKI

LITHUANUS

MEDICINAE MAGISTER.

Anno 1828 Die Mense

VILNAE

TYPIS A. MARCINOWSKI.

1828.

Ex Consensu Ordinis Medicorum.

Licet excudatur, ea conditione, ut exemplaria legibus praescripta, apud Ordinem Medicorum deponantur. Vilnae 1828 die 24 mensis februarii.

Dr. Nicolaus Mianowski
Coll. a Consil. Ord. Med. Decanus.

Nr. 13.

VIRO CELSISSIMO, ILLUSTRISSIMO,

IGNATIO PRINCIPI

G I E D R O Y Ć

EPISCOPO CASSIENSI, COADJUTORI EPISCOPATUS SAMOGITIENSIS, MEMBRO COLLEGII ROMANO-CATHOLICI PRIMAE PARTITIONIS, PRAELATO ARCHIDIACONO SAMOGITIENSI, PAROCHO SZAULENSI, ORDINIS S. STANISLAI EQUITI etc.

huncce libellum

grati animi et observantiae

testem exstare voluit

AUCTOR.

DE MOXA JAPONICA ET SINENSI.

Nil magis igitur interesse saluti hominum puto, quam ut per manus medicorum nova in dies detegantur remediorum genera, vel jam detecta solidis observationum praeceptis efficacius muniantur. Baglivius Lib. II. p. 369.

Definitio. Moxa in genere nobis est corpus oblongum, in coni aut pyramidis formam e materia facile ignem concipiente ita effictum, ut altera ejus extremitas complanata, baseos sub nomine veniens, parti male adfectae agglutinari, altera autem acuminata, moxae fastigium dicta, igne admoto, accendi possit.

§. I.

Remedii hujus historia et nominis ratio. Cauterisatio vero ipsa, seu ustio proprie sic dicta, quae fit, hujusmodi moxarum cremandarum ope, communiter moxibustio dicitur. Quam denominationem, aeque ac moxiburium illam, quae solam moxibustionis actionem denotat, a Kaempfero aliisque, qui sub seculi decimi septimi finem de ustione ac de ignis in sa-

nandis varii generis morbis vi salutari, praeclare egerunt, primum adhibitas fuisse legimus 1).

Hoc adurendi autem genus, pariter atque conficiendae moxae ratio ipsumque remedii hujus nomen, ante peregrinationes in Sinarum, Japoniorum et Indorum terris susceptas, Europaeos medicos prorsus latuisse videntur, adeo, ut, per Lusitanos demum, qui primi (2) regiones illas adiisse atque perlustrasse feruntur, et moxae notionem quandam, et verum vocis etymon innotuisse nobis statuendum sit.

Ex his itaque peregrinatorum relationibus constat, apud orientis populos supra memoratos moris esse, e quibusdam plantis, eodem fere modo, quo herbae nicotianae folia ad fumum ducendum (cigarros Galli dicunt) apud nos glomerari solent, funiculos parvos nectere, eorumque in parva frustula scissorum bonam domi asservare copiam, ut, necessitate quasdam corporis morbo tentatas partes inurere cogente, quilibet illud funiculi frustulum ipse sibi applicare queat: quod tamen officii genus a medicis, hinc ustores (*xinkieu*) dictis, communiter praestari ajunt, et funiculi hujus loco male adfecto appliciti alteram extremitatem, admoto igne, accendi eadem ferme ratione, quam in herbae nicotianae, in

1) *Dictionaire des Sciences médicales*.

2) *l. l.*

tubuli formam contortae (Gallorum cigarros) fumo ducendo observare licet. Qui primi operationi huic, antehac in Europa prorsus incognitae, testes aderant, unanimi consensu declarant, ustiones illas funiculorum ope, *metchiae*, *motzchiae*, *moxiae* et moxae ab indigenis dictorum, perfici, apellationesque has ad designandam etiam ipsam operationem promiscue adhiberi. Fertur tamen praeterea, medicos Sinenses et Japonios non nisi tum ad vocem moxa recurrere, quum de operatione hac coram advenis verba faciunt, quumque ab iis intelligi nolunt; in operibus autem suis, remedium, de quo nunc agimus, vocabulo potius *Kieou* denotare. Funiculus autem quoniam, in Franco-Gallorum lingua *la mèche* dicitur, hinc nonnullis vocem moxa a vocabulo gallico commode derivare posse, nescio an recte, visum est.

In Graecorum et Arabum libris nomen moxa non occurrit, neque constat quonam vocabulo antiquissimi inter eos medici ad eam designandam usi fuerint.

Quodsi autem quaeras, quonam praecipue tempore remedii hujus usus ubique invaluerit, et quanam locorum serie ex aliis in alias regiones migraverit; in tanta rei vetustate nihil certi a nobis proferri posse ingenue fatendum est. Verisimile tamen videtur, hanc adurendi rationem, a remotissima inde antiquitate repetendam, tanquam remedium princeps contra complures morbos chroni-

cos, rheumaticos et nervosos, a populis vitam pecuariam vagamque agentibus (*Nomadas Graeci vocant*), nec non a nationibus humanitate quadam perpolitis adhiberi solitam, apud antiquissimas in Oriente Japoniorum et Sinarum gentes natam esse; hinc autem temporum successu, peragratis Asiae totius regionibus, ad Chaldaeam, Aegyptum, aliasque orbis antiqui terras penetrasse, ibique pro varia locorum naturâ, varias subiisse mutationes. Ceterum, ex quo tempore methodus haec in Europa innotuit, pro vario effectu, quem ex ejus usu obtinuerant medici, modo eam laudibus extolli, modo graviter exagitari legimus. Verum nostra aetate, moxae utilitas adeo probata habetur, ut jam nemo sit, qui eam in dubium vocare audeat; et si quaedam adhuc inter viros doctos opinionum discrepantia animadvertitur, ea materiam, ex qua moxae commodius confici possint debeantque, unice spectat.

§. II.

Scriptores. Moxae describendae operam dederunt: *Groeser* 1) *Hecquet* 3) *Loder* 3) *Joung* 4) *Abraham*

---

1) In Dissertatione de remediis chronicorum in. genere Vindob. 1771.

2) An quos morbos non sanat chirurgiae ferrum sanat Chymiae ignis, Paris.

3) Chiru. med. Bemerkungen JB- p. 230 (methodus per cylindros gossypinos.)

4) In Duncan medical. Annals vol. 1 Lustr. 11 p. 437 v

Gehema 5) *Joannis Sobieski*, Regis Poloniae Archiater, qui tum in Aula Regia, tum per totum Regnum multus omnino fuit in praedicandis moxae laudibus, hortatusque est Sarmatarum posteros, ut heroicum illud remedium, apud eorum majores, teste *Hippocrate* 6) optime meritum, restituendum curarent. In eundem finem *Pechlin* 7), anno 1661 Toscaniae cives allocutus est et veterum Etruscorum, quos medicinae practicae mirum quantum deditos, singularem in sanandis compluribus morbis igni vim tribuisse novimus, exemplum imitandum proposuit. *Andreas Cleyer* 8), *Georgius Volfgang Wedel* **) *Hermanus Buschoff* ***) anno 1674, redux ex Java, quam ante Cleyerum peragraverat, multas observationes de arthritide aliisque affectionibus, (ope moxae) sanatis, publici juris fecit, suosque populares, ab excludendo remedii hujus usu, avocare studuit. *Geilfus* 9) *Joannes Vesling* *) medicinae Professor Paduae, perlustrata Aegypto, multum in administranda moxa versatus, sa-

* Samml. auserles. Abhan. für pract. Aertzte XX. B. p. 527 (usus et ratio in India orient).

5) Dictionaire des sciences medicales T. XXXIV.

6) De aëribus locis et aquis.

7) Dictionaire des sciences médicales.

8) Ibid.

**) Dictionaire des sciences médicales.

***) Ibid.

9) Dissertatio de moxa Giess. 1676.

*) Dictionaire des sciences médicales.

tis superque docuit, quanta ex ejus usu in genus humanum emolumenta redundare possint. *Bernardus Geilf* **) ut medicorum animos ad pretiosissimam hanc inurendi methodum dirigeret, anno 1676 commentarios quosdam conscribendos suscepisse traditur. *Valentini* 10), *Joannes Munich* ***) sub seculi decimi septimi finem florens, summis laudibus moxam extollebat, opinabaturque eam omnino praeferendam esse cauterio, ignis atque ferri candentis ope facto, quod tantopere Marcus Aurelius Severinus commendaverat. Memoratu insuper digni sunt: *Murray* 11)' *Thunberg* 12), *Engelhart* 13), *Glandorp* 14), *Pascal* 15), *Pouteau* 16), — Variis praeterea in locis passim fit de moxa mentio in nonnullis fastis medicis *) . . **). Supra citatos cum laude secuti sunt: *Pur-*

**) Ibid.

10) Historia moxae, cum meditatione de podagra. Leidae 1686.

***) Dictionaires de sciences medicales.

11) Dissertatio de usu ustionis vario. Upsal. 1787.

12) Dissertatio de moxae atque ignis in medicina rationali usu. Upsal 1787. Döring T. p. 266.

13) Dissertatio de usu moxae. Londoni 1799.

14) Gazophylacium Cap. 7.

15) In neusten Sammlungen für Vund-Aertzte, 11. n. 4. (per cylindros ex gossypio).

16) Melanges de Chirurgie p. 1. s. q. (cylindri ex gossypio.)

*) In journal de médecine T. LXI. p. 268. — 595 (cylindri ex gossypio.)

**) In Retz. Annales de medecine T. IV. (cylindri ex gossypio)

mann 17), *Wendt 18)*, *Bernardin* (Alexandre Edme-Maurice) *19)*, *Deshayes* (Edouard-Bernardin-Joseph) *20)*, *Cothenet* (Claude-Jean-Baptiste) *21)*, *Cretin* (Joseph) *22)*, Jll. J. *Frank 23)*, Jll. V. *Pelikan 24)* magister mihi in aeternum colendus, hoc tempore Universitatis Vilnensis Rector magnificus. *D. Gałęzowski 25)*, Universitatis Vilnensis Adjunctus, et Professoris Chirurgiae adjutor. *Larrey 26)*, *Perçy* et *Laurent 27)*, J. M. *Desulpephe 28)*, J. B.

---

17) Chirurgia curiosa. p. 720. (moxa)
18. In Arnemann. magaz. J.B. p. 280. (per chartam griseam spiritu vini imbutam.)
19) Dissertation sur les avantages qu'on peut tirer de l'application du moxą et de la pratique de l'operation de l'empyeme 15 pages in 4. Paris 1803.
20) Dissertation sur les maladies les plus communes et les plus habituelles du canton de Douay, et quelques observations sur le moxa. 27 pages in 4. Paris 1806.
21) Dissertation médico-chirurgicale sur le moxa ou cautere actuel. 50 pages in 4. Paris 1808.
22) Propositions sur l'aplication et les effets du moxa; 25 pages in 4. Paris. 1809.
23) Praxeos medicae universae praecepta.
24) In praelectionibus chirurgicis publicis Vilnae.
25) In praelectionibus chirurgicis Vilnae.
26) Dictionaire des sciences medicales — Memoires de Chirurgie militaire. Campagne d'Egypte T. II. p. 134. Campagne d'Austerlitz T. II. p. 398 — 400 — 402 — 408 — 411 — 412 — 420 — Campagne d'Espagne T. III. p. 270.
27) Dictionaire des sciences medicales — Perçy insuper in Pyrotechnie chirurgicale-pratique ou l'art d'appliquer le feu en chirurgie. Paris 1811.
28) Journal complementaire du dictionaire des sciences medicales.

Regnault 29), doctissimus le *Chevalier Sarlandiere* 30), *Guersent* 31) et *Robinet* 32).

§. III.

Materia ad moxam conficiendam adhibita.

Praeter ferrum candens, aurum, aliaque metalla ad inurendas corporis partes male adfectas, adhibebantur etiam variae res facile ignem concipientes, ut: linum crudum aut coctum, sericum, muscus, gossypium et cetera, in pyramidis, aut cylindri formam convoluta; quae accensa, ut lenta et aequabili flamma arderent, medicum ipsum continuo oris flatu, eoque vel proximo, vel, quominus ortus hinc fumus oculos eroderet, per tubum ad id paratum emisso, ignem fovere necesse erat.

Graeci in hunc finem utebantur textilibus ex lino crudo aut cocto: quorum priora illa infimae plebeculae peculiaria fuisse ex hoc Ecclesiastici versu colligitur: „Ab eo qui utitur hyacyntho, et portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo, fu-

---

29) Journal universel des sciences medicales.

30) Memoires sur l'electropuncture considerée comme moyen nouveau de traiter efficacement la goutte, les rhumatismes et les affections nerveuses et sur l'emploi du moxa Japonais en France. Paris. 1825.

31) Dictionaire de medecine en 18 vol. T. XIV. 1826. p. 520.

32) Revue medicale Françoise et étrangére III. année Juin 1826. p. 527.

ror, zelus, tumultus etc." Quae autem ex lino cocto facta erant, inque lixivio macerata atque dealbata, mollia, tenuia nec non levia, ea superiorum classium civibus atque sacerdotibus propria fuisse videntur. Re itaque aliquam corporis partem adurere poscente, moris fuit, parvum texti hujus pannum glomeratum, non tamen nimis compactum, ne ignis actio impediretur, loco inurendo applicare. Quo latius autem profundiusque vulnus infligendum erat, eo plures ejusmodi pannos accensos, unum post alterum, parti morbo tentatae applicari oportuit. In qua quidem operatione, ne linum accensum extingueretur, et ut combustio citius procederet, flatus necessario requirebatur.

Hippocrati quondam (a) praeter linum atque muscum, etiam fusus buxeus in usu fuit, cujus alteram extremitatem, fervente oleo olivarum tinctam, loco inurendo applicari voluit, ut ferventis hujus olei olivarum junctae quaedam guttae, in parvam foveam hoc loco ex praevia fortiori pressione ortam illapsae, ibique aliquantulum immoratae, vulnus efficerent.

Aegypti populis gossypium panno lineo obvolutum familiare fuisse testatur *Prosper Alpinus* (b), cujus verba rem nostram spectantia operae pretium

(a) Dictionaire des sciences medicales.
(b) De med. Egypt. Lib. III. c. XII.

est hoc loco exscribere: „Non ferro, ait *Prosper Alpinus* l. l. non auro neque alio metallo ignito ad inurendas partes illi utuntur, neque ut aliqui utebantur, buxeis lignis, sed gossypio, et lineo panno ignito inustionem moliri consueverunt: volentesque inurere aliquam partem corporis, sumunt lineam petiam, cubiti longitudine, latitudineque trium digitorum, atque gossypii justam quantitatem, quod totum linea praedicta involvunt, ac filo sericeo ligant ad formam pyramidis, ipsiusque latiorem extremitatem urendae parti applicant, probeque cuti adhaerere student, alterumque caput, vel extremum succendunt, comburique permittunt, quousque fasciculus ille ex linea petia atque gossypio omnino crematus sit; continuè, dum cutis uritur, carnem circum circa ferro tangentes, ne ex eo calore oboriatur interea aliqua inflammatio: observant etiam dum involucrum illud parant, ut in ejus medium sit foramen, vel meatus, per quem fiat aliqua respiratio et eventatio."

Aetate Dris. *Pouteau* omnes etiam Gallo-Francorum medici, minime solliciti de methodo, apud Orientes populos, a quibus eam accepimus, usitata, ad efficiendos cauteres unice gossypium adhibebant (c). Quae inurendi ratio quot, quantisque prematur in-

---

(c) Dictionaire des sciences medicales.

commodis, facile quidem patebit, si tibi cujusdam chirurgi, in applicanda moxa e gossypio parata occupati, speciem animo fingere volueris. En tibi itaque hominem supra cylindrum, qui in pyramidis locum cesserat, inclinatum, oculis rubris et ob fumum acrem lacrymantibus, buccis autem suscitandi ignis causa perpetuo inflatis, saepe anhelantem, defatigatis prae continuo flandi nisu pulmonibus, anxium denique, et ob incommodum corporis situm, valde vexatum excrutiatumque; quippe qui dum altera manu gossypium flagrans vulneri impositum sustinendum curat, altera scintillas sub flatu e gossypio prosilientes extinguere debeat. Quae cum ita sint, simplex haec, inurendi ratio, quae ne nomen quidem operationis mereri videtur, tantis medicum necessario incommodis obrui oportet.

Latet nos profecto, quidnam, in cremandis pyramidibus suis e gossypio factis, Aegyptii observaverint; eas tamen perflari debuisse vel inde colligere licet, quod, sive eas e solo gossypio paratas, sive ex more genti huic proprio, fascia quadam obvolutas cogitemus, nisi ad augendam ignis vim, parvi camini speciem pyramidum harum fastigio adaptatam fuisse ponamus, omnino manifestum sit, fieri non potuisse, quin ad flatum recurrere oportuerit (d).

(d) l. l.

Medicorum itaque nonnulli (e) cuncta haec incommoda et difficultates, quas moxae e gossypio factae usum comitari paullo supra monuimus, animadvertentes, aliud quid, quod et proposito scopo quantum satis sit respondere, et medicum ejusmodi operationes suscipientem, a molestiis vix tolerandis, liberare posset, quaerere coeperunt. Atqui funiculus tormentarius (*la mèche*) in militaribus inprimis Gallo-Francorum nosocomiis feliciter adhibitus, eorumque votis satisfacere visus est. Funiculus autem hic licet multo vehementius, quam gossypium, urit, verum id quod praecipuum est, ab initio usque ad finem adeo aequabiliter ardet, ut ne minimo quidem flatu opus sit. Sequitur hinc, Graecorum linum crudum aut coctum, quod sine oris spiritu flagrare non posse supra vidimus, a funiculo hoc tormentario prorsus diversum esse. Quod autem clarissimi *Perçy* et *Laurent* funiculi tormentarii usum, certe majorem ei fidem apud populares suos laudemque conciliaturi, ad Fabricium Ab-Aqua-pendente, tanquam primum ejus auctorem referre studuerint, in eo quidem, mirum quantum falli mihi videntur. Si enim Fabricii verba adtentius perlegeris, eum de funiculo tormentario in gossypii locum substituendo ne cogitasse quidem sponte concedes. Quod vero

---

(e) Perçy et Laurent. l. l.

Cl. Fabricius in opere suo de funiculo mentionem injecerit, id sane propterea fecisse putandus est, quod, de crudo illo et cocto lino, Hippocratis temporibus ad efficienda cauteria usitato, verba faciens, comparationem quandam instituere voluerat. Sed jam ipsum scriptorem audiamus qui ait: „Hippocratem per linum accensum intelligere puto quendam funem ex lino contortum, qui est funis fistulae ferreae ignivomae gestatoriae, qualis accensus, aequabili digeritur igne; ille tamen quo usus est senex Cos, minime fuit coctus (f)." Unde patet venerandum Fallopii discipulum, quum haec scriberet, non id in animo habuisse, ut funiculum tormentarium (*la mèche*), sua aetate ad machinas bellicas glandibus expellendis inservientes adhiberi solitum, moxae e gossypio factae substituendum commendaret, sed potius verba haec ideo exarasse, ut linum illud, Hippocrati linum coctum dictum, funiculo huic simile fuisse, ostenderet.

Populi Barbariae, Pauli Aeginetae temporibus (g) quadam fungi specie, Agaricus igniarius a Gontiero Andernach Pauli Aeginetae interprete, nuncupati, aduri se consuevisse dicuntur. Agaricus ille quercinus suavis est, medullosus, spissus, flexibilis, villosus, qui in parva frustula sectus, egregiam moxae

(f) Chirurg. part. 2. C VI edit. de Lyon. 1674.
(g) Dictionaire des sciences medicales.

conficiendae, materiam sistit; nam et accensus facile absque ullo flatu crematur, et propter densitatem suam, tam lente ignem transmittit, ut cutis, in loco medelam hanc postulante, sensim sensimque augescenti calori assuescat, eique tolerando omnino par fiat.

Linum, stupa et gossypium (ξ) quo magis moxiburio idonea fierent, nitro etiam imbui solita fuisse traduntur (h). Quae tamen corpora hoc modo praeparata, quoniam nimis ardere, vehementiusque, quam opus esset, exurere videbantur; proclive sane erat aliud quid, quod eorum vicem gerere posset, quaerere. Post multa itaque tentamina, seriori tempore Perçyo et Laurentio observatum tandem est, eundem usum ex planta indigena, quae Helianthus annuus dicitur, obtineri posse. Planta enim haec quod

---

(ξ) Corpora illa, gossypium proeprimis, finissima, filamentis brevibus, exacte pectinata, eligi debent; quantitas unicujuscunque, ponderis librae unius duarumque unciarum, seu Gallo-Francorum librae praehensa, locatur in vase fictili novo, intus bene polito, operculo instructo, ita, ut ille fascis vix tangat vasis parietes. Infunditur consequenter solutio unciarum duarum nitri in aquae fontis libris duabus, vas illud dein operitur atque exacte luto obturatur. Tali in statu, retinetur vas ciner ibus calidis sepultum ad hoc usque tempus, donec omnis evaporetur aqua, immissaque corpora sicca maneant. Exempta ad eum modum praeparata massa, servetur ad usum ex necessitate in loco humiditatis experto.

h) l. l.

medullam mollem ac nitrate potassae a natura praeditam, eamque suavissimam alat, ipsa per se eximiam constituit moxam. Thyrsus itaque ejus frustatim perscissus, in loco sicco, ne corrumpatur, asservandus est, ut quovis tempore paratam moxam habeas. Frustula haec autem, unum pollicem cum dimidio longa, ad extremitates suas, ne cutim pungant, polita esse debent; superficies vero eorum externa, variis coloribus depicta passim cernitur. Ceterum moxae e Heliantho annuo paratae, id commoditatis habent, quod, ob singularem quandam corticis conformationem, calorico segniter extus emanante, intra urendum, tuto eas sustinere possis (*).

Sequens praeterea inventum Gallis (i), quondam familiare, idoneum fuisse dicitur remedium ad producendos effectus stupendos. Aderat illis nimirum species quaedam cochlearis, aut pyxidis rotundae profundaeque e lamina ferrea, vel cupro, vel etiam e metallo pretiosiori factae, sed nullibi ferruminatae, longoque manubrio instructae; in quam vel alcohol 30° vel oleum terebinthinae infusum, admoto igne accendebatur. Arrepto deinde manus ope longo manubrio, vasculum illud parti inurendae appli-

(*) Nuperrime Robinet suadet medullam hujusce plantae cum gossypio remisceri et tum demum ad parandam moxam sumere — l. l. p. 527.

(i) l. l.

citum, tam diu in eodem loco retinebatur, donec optatus effectus, subsequeretur. Instrumentum enim hoc, prout illud diutius aut brevius in integumentis commorari sinas, reddi potest vel rubefaciens, vel cathereticum, vel vesicans, vel denique escharoticum. In nostra autem potestate situm est, ut sublato instrumento, ejus effectum impediamus, vel transferamus illud in alium locum, vel pro varia aegri patientia et sensibilitate, atque pro vario fine, quem sibi quisque in operatione hac proposuit, vim ejus varie temperemus.

§. IV.

Moxae apud Sinas et Japonios conficiendae et applicandae ratio nec non utriusque differentia ac similitudo.

Sinensium *Kieou* Lusitanis peregrinatoribus, ut initio scriptionis hujus monuimus, moxa appellatum, hac ferme ratione praeparari traditur: (k) collecta Artemisiae Sinensis folia, sive sola, sive cum absynthii illis mixta, quo facilius exsiccari possint, in umbra ad domus parietes suspenduntur; filis deinceps nervisque nudata, inque mortarium, pinsandae oryzae inserviens, immissa tunduntur, donec in tomentum sub attactu jucundum, molle atque sericeum prorsus convertantur. Quod tomentum, si solis Artemisiae Sinen-

(k) l. l.

sis foliis constat, rufum vel subnigrum praesefert colorem; viridis autem atque plus minus obscuri habetur coloris, si absynthii folia addantur. Exstitisse quosdam novimus, qui tomentum illud in ipsa foliorum artemisiae et absynthii superficie sponte nasci atque sine multo labore et molestia colligi posse, crederent. Quam eorum opinionem prorsus falsam esse, tum e nominis *Kieou*, quo in Sinarum lingua vasculum massae huic conficiendae inserviens, denotatur, ratione, tum ex eo, quod plantas has in Japoniorum et Sinensium terris, majori quam apud nos lanuginis copia abundare minime constat, unicuique facile patebit. Teste quoque doctissimo Sarlandiero, materia ad moxam apud Sinas et Japonios parandam adhiberi solita, est lanuginosa, seu lanugo ipsa, quae ex Artemisia vulgari latifolia (*), in eorum lingua *jamogi* (l) communiter nuncupata, simili fere modo ac supra dictum, eximi perhibetur. Particulae exemptae, ignota nobis ratione, in unam quandam massam coactae, deinceps in solidos globulos, trochiscorum odoriferorum (gr. *τροχισκος*), latinum *pastilli*, polonicum autem *tro-*

(*) Jam etiam Andreas Cleyer et Georgius Wolfgang Wedel experientia magistra edocti, moxam e vulgari artemisia vernacula paratam, non minus bonam esse, quam quae ex Artemisia Sinensi fieri solet statuerunt.

(l) Mémoire sur l'electropuncture, le moxa, et l'acupuncture, par le Chevalier Sarlandiere Paris 1825.

ciczki, qui in cubiculis nostris purgandi aëris causa cremari solent, speciem praeseferentes, effingi videntur (*).

Ut moxa Japonica ad cl. Sarlandieri mentem conficiatur, e pyxide lanuginem, modo supra descripto praeparatam, continente, tot ejus grana, singula nucis avellanae volumen exaequantia, sumuntur, quot conis aut pyramidibus opus sit. Deinde singulae hae lanuginis massulae, ut minimae earum particulae arctius inter se cohaereant, inter manuum palmas pervolvuntur. Quaevis tum hoc pacto convoluta massula, tribus dextrae manus digitis, id est pollice, indice et digito medio arrepta, ut alteram ejus extremitatem prorsus planam facias, ad sini-

*) Sed praestat ipsius Sarlandieri verba l. l. excitare: „ J'ai fait bien des tentatives pour préparer le moxa en petits cônes solides à la manière des Japonais sans pouvoir y reussir: touts les corps que j'employais á lier ensemble les particules de mon duvet, ou en detruisaient la faculté igniscible, ou l'exaltaient de manière a ne pas pouvoir conserver ce mode uniforme et lent d'ignition qui fait toute la vertu specifique du moxa — C'est en vain que j'employais divers corps glutineux et resineux avec, ou sans addition du nitre. etc — Tous mes trochisques manquaient leur effet, et mes preparations ne valaient pas le duvet employé seul et rapproché par la pression; ce qui me décida a renoncer a toute substance intermédiaire, aux molécules de duvet — Considerant que plus ces molecules se toucheraient étroitement et mieux l'ignition se communiquerait et serait uniforme, je m'attachais donc specialement à obtenir un duvet parfaitement pur, dégagé de particules hétéro-

strae manus palmam admovetur fortiterque inter palmam hanc et tres digitos manus alterius comprimitur, et tam diu versatur, donec conus aut pyramis omnibus ejus particulis atomisque rite compactis exsistat (m).

Quodsi jam conorum aut pyramidum, ratione nunc descripta confectorum, idoneum numerum habeas, digito aqua aut saliva humectato loca inurenda perfricantur, iisque singuli coni ita imponuntur, ut eorum bases cuti adhaereant, alter autem ab altero unum saltem pollicem distet. Ceterum coni hi, sive in aequo, sive in obliquo plano collocati, fir-

---

gènes. A cet effet, l'experience m'a appris que l'artemisia latifolia, recueillie aprés le coucher du soleil en été et séchée lentement à l'ombre, est la plus propre a subir la preparation — On la suspend librement, et de manière à n'être rassemblée qu'en très petits paquèts, à des perches dans un lieu sec, à l'abri des injures de l'aire. Il convient que les feuilles de cette plante soient ainsi suspendues pendent plusieurs années avant de s'en servir, et au moment ou on désire les employer, il faut les faire mettre pendant quelques heures a la cave, pour les faire rammollir, puis on les pile dans un mortier jusqu'à ce que tous les fragments d'épiderme et de cotes ou nervures des feuilles aient été soigneusement enlevées. Cette operation est longue et ennuyeuse, la préparation est plus prompte si l'on se sert des petites cardes faites exprès pour cet objet— Le duvet ainsi prèparé est renfermé dans des boites, et conservé en lieu sec pour l'usage.

(m) l. l p. 69.

miter haerent, ut non sit cur timeas, ne suis locis moveantur.

Cunctis itaque rite dispositis, conorum fastigia scidae sulphuratae ope facillime accenduntur. Accensos autem lento et aequabili igne omnes simul cremari et parvam tantummodo fumi copiam emittere, quicunque operationem hanc susceperant, unanimi consensu testantur. Quodsi intra conficiendos cylindros minutissimas lanuginis particulas quantum sit comprimere non contigerit, combustionis tempore prosiliunt etiam scintillae; quas tamen non ut sub moxae e gossypio factae usu, sine ullo negotio amovere et liberum fumo exitum parare possis. Combustio autem ab initio inde usque ad finem tam recte absolvitur, ut nulla causa ad oris flatum recurrere cogente, medicus a cunctis incommodis, quae moxam e gossypio paratam comitantur, liberatus quasi testis solummodo operationi adsit (n), totus in eo, ut, applicitis in conorum vicinia corporibus frigidis v. c. ferro, glacie, marmore, aliisque, quibus cutis sensibilitatem imminui novimus (*), aut leniat dolores, aut blandis verbis et spe non diu-

(n) l. l. p. 70.

(*) Les patiens sentent en effet un grand soulagement de ce moyen, et quand on cesse de promener le corp froid sur les parties voisines, ils le redemendent avec des instances pressantes. *Sarlandiere* op. c.

turni doloris illata aegri animum erigat. Quo solatii et dolorum levaminis inferendi studio paulo recreatus aeger, gratissimo animo excipit medicum, a quo sibi malorum finem venturum esse confidit. Rem secus se habere necesse est, si cylindris e gossypio factis utaris; medicus enim, dum oris spiritu ignem fovere conatur, volens nolens dolores auget; quo fit, ut vix effugere ei liceat, quin inhumanus et durus quodammodo videatur, atque metum sui aegrotis incutiat.

Necessitate ad moxarum auxilium recurrere jubente, circa partem morbo detentam series conorum ita applicatur, ut alter ab altero pollicem di stet. Peracta operatione, loco adusto lintea sicca tenuia, vel si forte aegro nimis molesta sint, (quam tamen irritabilitatem sub moxae Japonicae usu rarissime accidere ait Cl. Sarlandierus); compressorium cerato unguento inunctum, imponi solent. Escharae exactis decem aut quindecim diebus avelluntur; quae concitata suppuratione, quo facilius solvi possint, conteguntur parvis e corio factis orbiculis unguento digestivo tinctis; si autem vulnera inflammata aut dolentia sint, orbiculis unguento cerato illitis uti praestat.

Ubi parva haec vulnera jam cicatrisari animadvertas, alteram moxarum seriem intra priorem illam applicari, idque deinceps repeti oportet, donec

tota partis malae adfectae superficies ejusmodi vulneribus contegatur, quo facto, optatus curae exitus communiter obtinetur. Non idem autem de moxis e gossypio paratis dici posse multorum experientia docuit.

Remedium illud Sinensium, et materia, e qua constat, et ipsa agendi ratio, a moxis apud nos praeparari solitis, nimium quantum differt (o). Moxa enim nostra, quum nos tanquam remedium causticum atque derivans considerare consuevimus, in cutis parte medelam hanc postulante, ab initio statim acerbum quendam cito augescentis et per quindecim fere sexagesimas, donec ignis ad cutim perveniat, misere aegrum excruciantis caloris sensum excitat. Orta hinc fusci, aut subnigri coloris eschara, quindecimo aut tardius die cadit, relicto vulnere profundo et copiose suppurante, quod communiter per longum temporis spatium saevis aegros afficit doloribus. Cicatrix autem serius vulneri huic succedens difformis est, et admodum irritabilis. Quo loco obiter monendum est, horrenda nonnunquam vulnera cylindri tanto ambitu, ut diametros ejus unum et quod excurrit vel etiam duos pollices cum dimidio longa sit, Gallo-Francorum more (p) e gossypio facti usum subsequi solere.

(o) l. l. p. 63.
p) l. l. p. 64.

Contra vero Japonicae moxae, in coni formam cum basi facile cuti adhaerescente effictae, lenta actione commendantur. Accensis enim earum fastigiis, textui cutaneo mox quidem quasi radiorum torrentium effluvii sensus transmittitur. Sensus hic autem, vel in cutis loco exquisitiore irritabilitate praedito attentius observatus, nulli consveto dolori comparandus, quandam calorici radiorum quasi incidentium et mox redeuntium sensationem inter voluptatem et leve incommodum mediam, et judice Sarlandiero, ei simillimam, quae instante animi deliquio percipi solet, constituere videtur. Cujus sensationis causa quaerenda est, fortasse in eo, quod in corporis partibus, moxarum basi subjectis, nervi, penetrante in cunctas eorum ramificationes calorico, leviter commoventur. Ceterum caloris hic sensus non, ut moxae e gossypio paratae usu fieri id supra jam monuimus, repente summum intentionis gradum adtingit, sed tam lente augetur, ut cutis ei sensim sensimque assuescat, et levissimo orto hinc dolori tolerando omnino par fiat. Secundum Cl. Sarlandieri computationem post elapsos demum centum horae scrupulos, summus ille ardor incipit et non nisi quindecim aut viginti scrupulos durat, deinde autem per quatuordecim vel octodecim scrupulos decrescit, adeo ut omnibus simul sumptis, temporis spatium ad perfectam moxae combustio-

nem necessarium, duas sexagesimas horae partes et quindecim scrupulos non excedat. Quoniam autem sub moxae e gossypio factae usu dolores, ut jam suo loco monuimus, per unum fere horae quadrantem summa cum vi urgent; sponte sequitur, intentionis periodum hic sexies et trities esse longiorem: id quod certe non minimi momenti inter utramque moxam discrimen constituit, et non leviter probat, quantum Japonica moxa nostrae illi praeferenda sit.

Operationem moxae Japonicae beneficio non modo minus dolorificam, sed etiam multo commodiorem reddi, ex iis quae praecesserant, satis constat. Non enim singulas pyramides separatim alteram post alteram applicare et cremare opus est, sed applicitas omnes simul accendere licet, id quod de moxis e gossypio factis dici nequit; nam et cylindrum tenaculo instructum aut manu sustineri et ignem, ne extinguatur flatu semper excitari oportet, adeo ut eodem tempore nonnisi unam moxam applicare par sit. Ex quo sequitur moxae e gossypio paratae incommoda in eo consistere; quod plures simul pro re nata applicari nequeant, quod escharae magis sunt combustae, quod dolores sub operatione diutius durent, quod vulnera profundiora ac cicatrices relictae magis sunt foedae diuque dolentes, quod denique, necessitate aliquot moxas applicare

cogente, fieri non possit, quin aeger instantes novos cruciatus reformidet et horreat. Ut jam de aucto medici arduo labore taceam et fastigio, quo eum tandem capi necesse est. Non tamen moxas e gossypio factas prorsus rejiciendas esse statuimus: dantur enim casus, ubi eae moxis Japonicis praestare videntur, nimirum si requiritur ustio, quae inter cauterium actuale et veram moxam Japonicam medium tenet. Easdem etiam in individuis parum irritabilibus, ad tollendam partium adfectionem, adhibendas esse putamus.

Clarissimus Sarlandierus per trium annorum spatium in nosocomio militari Montaguensi (l' hôpital de Montaigu), adfectionibus chronicis unice dicato, moxa Japonica quotidie fere utebatur, ejusque cum moxis e gossypio factis comparandae facultatem non semel nactus est. Quotidiana itaque experientia edoctus fatetur, moxas Japonicas constanter plus profuisse aegris, quam quae e gossypio, stupa aliisque rebus parabantur. Doctissimus Therrinius (q) tunc temporis huic nosocomio praefectus et alii qui artem salutarem ibidem exercuerant, idem testantur. Etiam Cl. Brussaius (r) et complures alii medici (s) adurendi methodum moxae Japonicae ope, reliquis omnibus anteponunt.

---

q) l. l. p. 73.
r) s) l. l. p. 73. 74.

Moxarum applicandarum numerus.

Difficultates et molestiae, quas etiam cum moxarum Japonicarum usu conjunctas esse supra innuimus, in causis ponendae sunt, cur eas Europaei medici parvo numero praescribere soleant. Japonii et Sinae vel in leviori adfectione, certe in minoris ambitus organo aliquo, decem saltem moxas (t) eodem tempore applicant; in gravioribus autem morbis, praesertim ubi viscera tentata esse apparent, vel ducentos etiam conos adhibere dicuntur. Sarlandierus quoque experientia edoctus, quantum majore etiam numero applicitae moxae prodessent, fatetur se fere semper decem ad triginta et quadraginta moxas eodem tempore administrare consuesse (*).

Quod vero ad moxas e gossypio factas attinet, eas quidem, si eodem numero, quo Japonicae illae adhibeantur, aeque profuturas sponte concedimus. Sed si quis quaerat, quonam pacto ejusmodi moxarum numerum augere liceat, quum unam solummodo moxam applicare possumus, et quum fieri nequit, quin aeger semel jam acutissimos sub una moxa dolores perpessus, alteram operationem hanc jam per se valde difficilem, multumque medico incommodam, omnino abhorreat eamque subire recuset? Ad

t.) l. l, p. 72. —

(*) J'applique rarement moins de dix moxas à la fois et souvent trente ou quarante. vid l. l. p. 77. —

priorem harum quaestionum est sane quod respondere possim: scilicet ut plures simul moxae comburi possent, excogitarunt viri docti tabulam quandam ligneam pluribus locis perforatam fulcimentisque munitam, recipiendo majori minorive cylindrorum numero inservituram, et follem rostro lato complanatoque instructum, cujus ope moxarum tabula insertarum combustio facilior redderetur. At quanam ratione dolorum diuturnitati aliisque incommodis moxarum e gossypio factarum usum comitantibus obviam ire liceat, prorsus non video.

Cunctis itaque rite ponderatis ipsa luce clarius apparet, moxam Japonicam et Sinensem, vel ad Cl. Sarlandieri mentem praeparatam, ei quae fit e gossypio longe praestare. Quamobrem confido fore, ut omnes, qui nostris regionibus artem salutarem exercent, cognitis tandem moxae hujus eximiis virtutibus, eam ceteris omnibus inurendi methodis anteponant.

Loca moxis inurenda.

Moxam pro re nata, ubique applicari et cremari posse statuimus. Neque adhaeremus sententiae doctissimi Sarlandieri, qui eas cranio et thoraci admovere non tutum esse arbitratur. Cranio enim a doctissimo I. B. Regnault (u) bono cum eventu moxam applicitam fuisse, ex in-

(u) Journal Universel des sciences medicales P. 166. —

fra apposita infantis octodecim menses nati, hydrocephalo laborantis, historia colligimus; et vel ex ejusdem Sarlandieri opere supra laudato discimus, loca versus cranium sita, *Amon* et *Daysoey* Japoniis nuncupata, in gravioribus varii generis morbis nervosis apud Japonios moxis adplicandis et instituendae acupunturae vel maxime idonea habita fuisse. Nec sane eundem Sarlandierum latere potuit, apud Japonios et Sinas multorum seculorum quidem experientia edoctos, thoracem etiam considerari tanquam locum moxis adplicandis non alienum. Larreyus (v) praeterea salutarem in phthisi pulmonaria moxae vim ad sidera tollit.

Japonii etiam in uno eodemque loco interdum plus vice simplici conos comburere solent, idque tum facere dicuntur, ubi malum profundius latet, aut curatu difficilius est.

Morbi in quibus moxae usus commendari solet.

Adfectiones, in quibus moxa feliciter adhiberi possit, sunt, quae sequuntur: Tumores albi, 1) varii generis, sed sine inflammatione, intumescentiae textus cellulosi 2), musculorum, 3) articulationum, 4) glandularum, 5) te-

v) Dictionaire des sciences medicales p. 468. —

1) Sarlaudiere in opusculo. De la preparation et de l'emploi du moxa Japonais.

2) 3) Op. c. —

4.) Dominus Gałęzowski in instituto Clinico Chirurgico Vilnensi.

5) Sarlandierus. Op. c.

sticulorum 6), viscerum 7);— vitia visus 8), inprimis ea, quae a membranarum globi oculi pravitate et a nervorum opticorum debilitate aut recenti paralysi proficiscuntur; vitia odoratus 9),— gustus 10), auditus 11), vocis et loquelae 12);— adfectiones paralyticae systematis locomotorii 13),— paralysis 14),— asthma 15);— catarrhus ac pleuritis chronica 16);— phthisis pulmonaria 17);— hydrocephalus 18);— ob-

---

6) 7) Op. c.
(8) Dictionaire des sciences medicales
9) 10) l. l.
11—12) Larrey in Dictionaire des sciences medicales T: XXXIV. p. 463—464.
13.) l. l.
14) J. M. Desulpephe Chirurgien à Dalhem, in Journal complementaire du dictionaire des sciences med: T. 8. p. 283. 284. 286. — Jll. J. Frank in Cap. de paralysi p. 492.
15) Larrey in Dictionaire des sciences medicales.
16) Guersent in Dictionaire de medecine p. 523.
17) Larrey in Dictio: des sciences medicales.
18) J. B. Regnault medecin consultant du Roi etc: in Journal Universel des sciences med: T. 9. p. 164. 165. 166.

Observatio 1. Infans temperamenti lymphatici octodecim menses natus, anno 1808 curae meae commissus, pallidulus fuit, corporis trunco satis quidem crassus, sed extremitatibus inferioribus, nimium quantum ematiatis nullique spontaneo motui idoneis, et quotiescunque a nutrice fortius commoveretur, convulsionibus agitari solitus. Accedebat huc enormis quaedam in faciei et cranii conformatione inaequalitas, inveterati jam hydrocephali signum, vel primo oculorum obtutu facile animadvertenda atque cavum encephalicum duplo amplius quam par esset. Suturae et fontanellae latae pate-

structiones hepatis nec non lienis 19); — rhachitis 20); — tabes dorsalis 21); — sacrocoxalgia denique 22), et alii ejusdem generis morbi.

---

bant, in spatio autem interosseo sub attactu manifesta percipiebatur fluctuatio. Ossa parum compacta sub fortiori paulo pressione facile cedebant, oculi autem protrusi orbitas praeterire videbantur. Ceterum organa digestiva languida, lingua pallida, alvus pertinaciter suppressa et nulla fere ciborum appetentia, plenam intestinorum inertiam denotabant. Cuncta haec symptomata attentius consideranti mihi, hydrocephalum eumque inveteratum adesse hic facile patuit. Commendata itaque congrua victus ratione, compositi e pulmento cum jure carnoso et e parvis vini generosi dosibus, amara quaedam et ferruginea intus sumenda praescripsi. Praeterea bis in hebdomade unum aut duo calomelani grana porrigi aegroto, saepiusque alvum lotionibus duci jussi. Quavis autem secunda tertiave die moxas cranio applicandas curavi. Qua operatione quinquies repetita (octodecim autem moxae in universum adhibitae fuerunt), convulsiones imminui rariusque accidere caeperunt; progressu autem temporis prorsus evanuerunt adeo, ut, ne sub fortiori quidem corporis agitatione amplius jam extimescendae essent: nutritio melior facta est et extremitatum inferiorum obesitas atque motus naturales prorsus jam rediere. Elapsis tribus curationis mensibus, capitis volumen se se imminuit; ossa propius ad se invicem admota, minus jam flexibilia, suturae autem arctiores erant; oculi minus prominebant et tarditas alvina omnino disparuit. Infantem hunc cura mea imminenti morbi ereptum; seriori tempore summa cum animi oblectatione vidi bona valetudine gaudentem, nisi quod caput paulo grandius, quam par esset, adhuc videbatur.

19) 20) Dictionaire des sciences med.

21) Larréy l. l. p. 470. 471. Observatio 2da. Dux militum L... pluribus causis debilitantibus exinanitus, tentatus

Quodsi quaeras in quanam morborum periodo moxae usus vel maxime suaderi debeat? ad haec quidem ex omnium medicorum Europaeorum senten-

---

fuit tabe dorsali cum febre lenta, notabili organorum genitalium astenia, nocturnis pollutionibus, item levi columnae vertebralis curvatura, molestia denique et torpore in extremitatibus inferioribus. Ceterum mirum quantum ematiatus videbatur. Malum hoc multis restitit medicorum conaminibus. Placuit tandem in columnae vertebralis tractu, et in osse sacro moxarum seriem applicari aegrumque in chinae ac ferrugineorum usu continuari. Atqui, pro operationum numero, vires aegri sensim sensimque restaurari caeperunt. Instituta septima operatione, deambulandi facultatem recuperavit aeger, post operationem autem decimam tertiam, eo jam res progressae sunt, ut iter ad aquas minerales suscipere ei liceret. Idem vir fortissimus temporum progressu sanitati plane restitutus, in pluribus posthac praeliis praeclara facinora fecit.

Observatio 3. Virgo D. . . . , annum aetatis vigesimum quintum agens, in primo marasmi cum manifestis phthiseos rhachialgicae symptomatibus conjuncti gradu versabatur. Vertebrae dorsales postrorsum dextrorsumque jam curvatae, et orto molli tumore seu abscessu, ejusdem lateris scapula a corporis trunco circiter pollicem unum distans, satis superque declarabant vertebrarum cariem adesse, cito vitae finem miserae huic impondituram. Vocatus itaque, ut infelici puellae opem ferrem, in regiminis debilitantis, a longo jam inde tempore ab ea observati locum, tonicum illud atque nutriens substitui, commendato chinae usu cum opio atque balsamicis quibusdam et gummosis remediis. Deinceps ad apophyseos spinosae vertebrarum dorsalium latus, e regione loci apophyses transversas sejungentis, quavis tertia quartave die aliquot moxas ap-

tia respondeo, moxam tutissime tum adhiberi ubi jam morbi in chronicos abire incipiunt. Sinae autem et Japonii apud quos remedia pharmaceutica quid? quod ipsam sanguinis missionem, tanquam auxiliaria 23) solummodo remedia considerari constat, moxis suis et in morborum cruditatis stadio et decrescentiae illo nec non in chronicis adfectionibus promiscue utuntur. Negari tamen nequit, apud eos etiam moxam in chronicis morbis, in acutis autem doloribus atque spasmis acupuncturam praecipue commendari 24),

§. V.

Expositis jam omnibus, quae moxae naturam ejusque conficiendae et applicandae rationem illustrare posse videbantur, ne aliquid praetermisisse putarer, opellae huic meae monita nonnulla, subjungere constitui, quae in variorum operibus supra

---

plicari jussi. Combustis jam vario tempore moxis viginti, omnia in melius mutari coeperunt. Sublata sunt inprimis phthiseos symptomata, brevi autem post etiam vertebrae dorsales ad suum redierunt locum tumorque ipse subscapularis disparuit. Viribus itaque ex die in diem se se reficientibus, puella tandem convaluit.

22) Larrey. l. l.

23) Sarlandiere Op. c. p. 27.

24) l. l.

laudatis, inprimis autem in Larreyi Perçyi, Laurentii, et Sarlandieri illis sparsa leguntur.

Monita 1. Quotiescunque manentibus praegressae inflammationis vestigiis, moxa e gossypio facta adhibetur, communiter accidit, ut status morbi inflammatorius redeat malumque majore, cum vi saeviat, id quod sub moxae Japonicae usu minime extimescendum esse experientia docet, sive morbus in quadam corporis parte externa, sive in visceribus sedem habeat. Fatendum est tamen moxam etiam Japonicam, durante statu inflammatorio ac febrili, perniciosam fieri posse; in subinflammationibus autem et in phlogosibus chronicis, eam omnino salutarem esse nemo dubitat. Idem de moxa e gossypio parata dici nequit.

2. Japonicae moxae, quamvis levem tantum escharam relinquere soleant; magnam tamen in organa profundius sita vim exercere putandae sunt. Neque adhibentur tanquam remedium derivans; immo in loci male adfecti vicinia eas applicari oportet. Ex quo sequitur, moxis majorem cum setaceis, quam cum remediis derivantibus et varii generis epispasticis analogiam intercedere.

3. In quibusdam gravioribus morbis, observante Sarlandiero, adurendi methodum pluries ita adhiberi oportet, ut inter cicatrices praegressam operationem subsecutas novae iterum iterumque moxae

applicentur. Qua in re, perpetua et medici operationem suscipientis, et aegrorum constantia felicissimum semper, teste eodem Sarlandiero, habet exitum.

4. In viscerum irritationibus saepe fit, ut nonnulla loca cuti propiora sympatico adficiantur dolore; iis itaque locis moxae applicandae sunt.

5. In nevralgiis, moxam aut in ipso nervorum adfectorum tracto, aut in eorum initio, aut denique non longe a centro applicari necesse est.

6. Si paralysin tollere velis, tota moxarum vis in ea loca dirigenda est, unde nervi, in organis motu sensuque privatis dispositi proficiscuntur, i. e. in totum columnae vertebralis tractum pone costales ejus apophyses et ad cranii basim.

THESES.

1. Tracheothomiam nonnunquam in morbo croup dicto opitulari posse existimo.
2. Syncope a cerebri affectione magis quam ab illa cordis derivandam esse censeo.
3. Sanguinis depravatio primitiva in morbis haud omnino neganda.
4. Ex speculi uterini lucidi in arte obstetricia usu multum expectandum.
5. Omnes ad praecavendam perinaei sub partu rupturam auctorum methodus, praeter illam, qua clunibus adposita manu illud fulcitur, prorsus rejiciendae.
6. Moxam Japoniorum ac Sinarum ex Artemisia Sinensi praeparatam, illi ex gossypio praeferendam esse contendo.
7. Tetani causa non semper in medullae spinalis affectione quaerenda.
8. Causam arthritidis proximam, systematis arteriosi peculiarem affectionem constituere cum clarissimo Kräysigio opinamur.



DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - PRACTICA
DE
CHOLERA
EPIDEMICA INDORUM

QUAM

IN CAESAREA LITTERARUM UNIVERSITATE VILNENSI

AD

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE LEGITIME CONSEQUENDUM

PUBLICO MEDICORUM JUDICIO

SUBMITTIT

ANDREAS
WYSOKIŃSKI
KIJOVIENSIS

MEDICUS PRIMAE CLASSIS CONSILIARIUS A TITULIS ORD. St. ANNAE IIIae CLASSIS EQUES,

Anno MDCCCXXVIII

VILNAE.
Typis Manesii Romme, et Zymelii sub N. 196.

1828.

Ex Consensu ordinis Medicorum Imprimatur, ea tamen conditione, ut, simulac typis excussa fuerit haec dissertatio, exemplaria legibus praescripta, apud eundem Ordinem deponantur. Vilnae die 16 Februarii 1828 anno.

Dr. Nicolaus Mianowski
Coll. a Cons., h. t. Decanus.

VIRO

ILLUSTRI ATQUE DOCTISSIMO

CONSTANTINO

PORCYANKO

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, THERAPIAE GENERALIS, MATERIAE MEDICAE ATQUE HISTORIAE MEDICINAE IN CAESAREA UNIVERSITATE VILNENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, SOCIETATIS CAESAREAE MEDICAE VILNENSIS SODALI.

COMMUNIUM QUONDAM STUDIORUM SOCIO SUAVISSIMOQUE AMICO ET FAUTORI PIE COLENDO.

D. D. D.

AUCTOR.

.... in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone morbos agit ante metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.

Virgil. Georgicor. l. III. vs. 551 sqq.

PROOEMIUM.

Quod mox, absoluto in alma hac Universitate doctrinarum curriculo, ante meum in Hiberiam discessum, propter temporis angustias, nullo pacto praestare potui; ad id, post septem demum annos, deposito iam medici in Coloniis Georgianis munere, in patriam redux, grato in praeceptores olim meos animo, qui me arti difficillimae initiare haud recusarunt, lubens me accinxi. Praeclarum itaque, tam in hac nostra quam in aliis Academiis, iam dudum receptum morem secutus, qui vult, ut, in quos summi in Medicina honores conferendi sint, ii studiorum

suorum et ingenii specimen aliquod publicum faciant, morbum epidemicum, sub denominatione *cholera morbus vel cholera spasmodica*, quinque annorum spatio, per Indiam orientalem, Persiam, et finitimas Imperii Rossici provincias latissime ac saevissime grassatum, qua par est diligentia excutiendum ideo mihi proposui, quod et morbus gravis erat et quod, in praxi mea inter Georgiae incolas privata, atque in nosocomio civili, quod in urbe *Tiflis* exstat, ejus in omnibus suis stadiis accuratius cognoscendi copia non semel mihi contigit,

NOMINIS RATIO.

Cholera, si vocis graecam originem spectes, aut a χολὴ *bilis* et ῥέω *fluo*, ut *bilis fluxum* denotet, aut a χολὰς *intestinum* et ῥέω *fluo*, ut sit quasi *intestini profluvium*, derivatur.

Variae morbi appellationes. Morbus hic apud varios auctores variis insignitur nominibus: et sic apud *Hippocratem modo cholerica passio* 1), *modo alvi sursum et deor-*

1) Hippocrates l. 5. epidem. C. 27. t. 6.

um turbatio 2), etiam *Vomitus furiosus alvo soluta* 3) dicitur. *Coelius Aurelianus*, vocat eum *fellifluam passionem* 4); *immodicam turbationem Trallianus* 5) *et Aëtius* 6); *choleram Plinius* 7); *miserere mei Petrus Faber* 8); *dysenteriam incruentam Willisius* 9); *Cholerrhagiam Swediaurus*. Alii modo *cholericam passionem*, *cholericam adfectionem*, *cholericam excretionem*; modo *cholericum fluxum*, et *cholericam morbum* appellant. Idem Arabibus *Mordezym* et *Mordekie* cholera nuncupatur; Germanis *Brechruhr* et *Gallenruhr*; Gallis *le cholera*, vel *trousse galant*, vel *mort de chien*; Rossis autem *Холера*.

---

2) Idem l. de iud. 1. 6.
3) Idem in Coac. praenot. notante *Varandaeo* C. 9. de aff. ventris.
4) l. 3. Auctor. C. 19.
5) LIII. C. 14. V. c. 6.
6) Tetr. III. Sermo I. C. 12.
7) *Foesius* in notis ad. l. 5. epid. aegr. 10. circa med.
8) Sapientiae universae l. 3. p. 285.
9) Pharm. rat. part. I. Sectio 3. cap. 3. p. 46.

DEFINITIO.

Dicimus autem *choleram* morbum acutissimum et fere semper letalem, cujus praecipua nota habetur vomitus creber, cum frequenti et copiosa materiei flavae aut viridis, saepe etiam admodum acris per alvum dejectione, et varia nervorum turba conjunctus.

DIVISIO.

1). In genere cholera, causarum eam excitantium habita ratione, dividi solet in *veram*, quae etiam *spontanea* seu *legitima* dicitur, et *in spuriam* seu *artificialem*. *Vera* ea habetur, quae a causis in universum organismum vim suam exercentibus proficiscitur, et efficere videtur morbum, qui totum corpus omniaque systemata, praecipue chylopoëticum illud, occupat. *Spuria* autem vocatur, quae e causis in tubum solummodo alimentarem, ventriculum et intestina agentibus oritur.

2). Exstat praeterea altera cholerae divisio in *primariam* seu idiopaticam, in *sym-*

ptomaticam, *sympathicam*, *simplicem*, et *complicatam*.

Primariam, vocant choleram, quae a causis peculiari modo systema chylopoëticum afficientibus profecta, morbum sui generis constituit.

Symptomaticam, quae est alterius morbi symptoma, et cujusdam consensus lege excitatur, qualem nimirum sub dentitione laboriosa, hepatitide, enteritide, peritonitide, adfectione hysterica et hypochondriaca aliquando observamus.

Sympathica ea habenda est, quae interdum animi pathemata, praesertim iram, moerorem, et terrorem subsequitur, vel quae e cohibita normali vel habituali quadam evacuatione serosa vel cruenta, aut ex anomala arthritide oritur.

Quod autem ad *simplicem* et *complicatam* choleram attinet: earum *prior* tunc admittenda est, quum homines antehac sanos nullâque labe contaminatos aggreditur; *posterior* autem species erit, quae aliis morbis sese immiscens eorum de-

cursum immutat, qualem *Sydenhamus* morbillis adjunctam se vidisse refert.

3). Verumenimvero naturae legibus magis consentanea videtur cholerae divisio α) in *endemicam*, in terrarum tractu solis ardoribus vel maxime exposito communiter grassantem; β) *epidemicam*, quae ob certas causas, a locorum natura, et annua aëris constitutione repetendas, in quavis regione evolvi potest, et intra certum tempus curriculum suum absolvit; γ) et in *sporadicam*, quovis tempore locoque e variis causis proficisci solitam, quae singula tantummodo individua aggreditur.

4). Si autem morbi τύπον s. formam spectes, cholera etiam dispesci potest α) in *continuam* seu continentem, quae uno impetu aegrum invadit, eumque intra breve temporis spatium absumit; β) *remittentem*, eamque minus frequentem, quae non continuate, sed per interruptas easque inaequales vices, saevit; et γ) in *intermittentem* seu *periodicam* quae febris intermittentis typum sequi solet,

qualem *Hippocrates* 10), *Riverius* 11), *Morton* 12), *Tortius* 13), *Casimir Medicus* 14) et *Alibert* 15) descripserunt.

HISTORIA.

Choleram legitimam, primariam, endemicam, aut epidemicam, quae e peculiari aëris constitutione oritur, et sive continens sive remittens sit, non modo in singulas civitates, sed etiam in integras regiones irruit ingentesque strages edit, medio seculo decimo septimo in India orientali morbum popularem fuisse *Bontius* 16) tradit. Eamque ibidem seculo decimo octavo iterum saeviisse, testes sunt *Lindius* 17), *Hunte-*

10) l. 5. epidemicor. C. 27. l. 6.
11) Observat. Cent. II. n. 19. III. n. 78.
12) Exercit. medicae I. de proteiformi febr. intermitt. gen. C. IX. histor. 13.
13) Therapeutice specialis ad febres quasdam perniciosas. Mutinae 1712. Lib. 3. C. I.
14) Geschichte periodischer Krankheiten. Karlsruhe 1764.
15) Traité des fièvres pernicieuses. Paris 1824.
16) De medicina Indorum lib. IV. Lugd. Batav. 1642.
17) Versuch über die Krankh. denen die Europaeer in heissen Climaten unterworfen sind. Riga. 1792. p. 277.

rus 18), *Cleghornius* 19), et *Hillaryus* 20). Sed ne Europam quidem variis temporibus deplorandas cholerae epidemicae calamitates effugisse, plurima exstant documenta, potiora quaeque hoc loco nobis excitanda: *Zacutus Lusitanus*, auctore *Ozanamo* 21), memorat choleram anno millesimo sexcentesimo in tota Europa grassatam; *Sydenhamus*, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo nono, et septuagesimo secundo Londini; *Franck* anno 1696 Ulmiae; *Schwallerus* eodem anno Basileae; *Fischerus* anno 1717 in urbe Pegau; *Augustini* anno 1747 Venetiis; *Malouinus* autem anno 1750 Parisiis eam comparuisse testantur. Idem ait *Lentinus*

18) Bemerkungen über die Krankheit. der Truppen in Jamaika. Leipz. 1792.

19) Beobachtungen über die epidem. Krankheiten in Minorka. a. d. Engl. v. *Ackermann*. Gotha. 1776.

20) Beobachtungen über die Veränderungen der Luft, und die damit verbundenen epidemischen Krankheiten auf der Insula Barbados a. d. Engl. v. *Ackermann*. Leipz. 1776.

21) Histoire médicale générale et particulière des maladies épidémiqnes, contagieuses et èpizootiques, qui

de urbe Lünneburgo, *Sims* autem de Londino; quarum prior anno 1765 posterior anno 1766 acutissimo morbo hoc vexata est, quem anno 1779 in Bretania quoque popularem fuisse auctor est *Vanlevierus*.

Sed haec ad secula jam elapsa spectant; nostris autem temporibus, inprimis anno 1807 *Curtis* 22), Choleram, quam spasmodicam nominat, inter Indos comparentem observavit; a quo inde tempore eam in India multo frequentiorem fieri, et in dies magis magisque ingravescere coepisse testes sunt *Bowes* 23), *Bory* 24), *Esmenard* 25)

---

ont regné en Europe depuis les tems les plus reculés, et notamment depuis le 14. siècle jusqu' à nos jours, Voll. 5. Paris. 1817—23.

22) On the diseases of India a new edition enlarged and continuated by *Graves* and *W. Jackson*. London 1815—19.

23) The London medical, surgical, and pharmaceutical repertory. London 1816 January et February.

24) Dissertatio medico-practica de cholera morbo. Parisiis 1808.

25) Dissertatio sur le cholera morbus. Paris. 1808.

Gillet 26), et *Henderson* 27). Atrocissima vero post hominum memoriam, cholerae huius epidemia, auctore *Andersono* 28), *Walkero* 29), *Corbynio* 30) aliisque, anno 1817, mense augusto in urbe *Jessore*, quae centum miliaria a *Calcuta* abest, primum comparuit; sensim autem per pagos oppidaque disseminata, mense septembri ipsam urbem *Calcutam* invasit. Unde paullo serius in urbem *Behar* et loca ei adjacentia migravit, nec urbibus *Benares*, *Allahabad*, *Goruckpore*, *Lucknow*, *Cawnpore*, *Delhi*, *Agra*, (antiquior *Agara*), *Multra*, *Meerat*, et *Barcilly* pepercit. Exercitum quoque Anglorum in urbe *Mundellah*, et in districtibus *Jubbulpore* et *Sauger* dictis, dispositum adgressa est, factâque strage ingenti ad urbem *Nagpore* pervenit,

---

26) Thèse sur le cholera morbus. Paris. 1812.
27) The Edinburgh medical and surgical Journal. 1825. October N. LXXXV.
28) The Edinburgh medical and surgical Journal. 1819. N. 60.
29) Ibidem 1819 July.
30) In medico - chirurgical Transactions. London. 1820. Vol. XI. part. I. p. 110. sqq.

et in viciniis provinciae *Deccan* vehementissime saeviit. In urbe autem *Hussingabad* verae pestis speciem induit, et ingentem civium numerum depasta, per oppida pagosque ad fluminis Namadi (hodie Narbudach) littora sitos, in urbem *Tannah* migravit; unde in provinciam *Arungabad* delata, urbemque cognominem, quae caput ejus habetur, item *Achmednugger*, *Poonach*, *Panwel*, multasque alias urbes huius provinciae finitimas, versus septentrionem et meridiem sitas, gravissime depopulata, ad urbem *Salset* pervenit. Anno post i. e. medio mense septembri anni 1818, testibus *Kellio* 31), *Powellio* 32), *Ortono* 33), *Boyle* 34), aliisque 35), in urbem *Bombay* et *Surat* irruit.

---

31) Dissertatio de cholera epidemica quae per Indiam orientalem nuper grassata est. Edinburgh. 1820.

32) The Edinburgh medical and surgical Journal. 1819. October et December.

33) Essay on the epidemic cholera of India. Madras. 1820.

34) Treatise on the epidemic cholera of India. London. 1821.

35) *Lloyd* (The Edinburgh Journal 1821 October) *Moreau de Jonnes* (Journal de Med. Chir

Non tamen, intra hoc temporis spatium, orientalem et meridionalem peninsulae partem prorsus deseruit, sed, auctore *Van Dissel* 36), in antiquas *Sorarnm* sedes, (totam hanc maritimam provinciam nunc *Coromandel* vocant) et insulam *Taprobanen* (hodie *Ceylon* dicunt) atrociter grassata, in *Chersoneso aurea* (hodie peninsula *Malacca*) et provincia *Siam* apparuit; unde in dies latius serpens, in *Sinarum* Imperium penetravit. Dum sic per biennium urbes et universae regiones supra memoratae vexantur, nonnullae etiam insulae *Philippinae*, potissimum autem Sti *Mauritii* illa, summas epidemiae huius calamitates a *Telfairo* 37), et *Kinnisio* 38), accurate descriptas, expertae sunt. Aestate autem anni 1821 Asiam quoque minorem, praesertim ad littora sinus Persici,

---

et pharm. 1821 Mart) et Reports of the epidemic cholera which has raged throughout Hindostan and the peninsula of India since August 1817. Bombay 1819.

36) Vaterlandische Letteröfening. Amsteedam 1824.

37) The Edinburgh Journal 1821 October.

38) Ibidem.

invasit cholera gravissima, quam *Rehmannus* 39), aliique 40), nave quadam ex urbe *Bombay* advectam fuisse affirmant. Morbus hic enim in urbem *Mascate* et pagos ei adiacentes delatus, consumptis intra aliquot septimanas hominum millibus sexaginta, primum in occidentali sinus Persici littore grassatus est. Depastus autem Vehabitarum millia centum et viginti quinque (non constat utrum per loca deserta ad regiones quoque ad mare rubrum sitas penetraverit), in urbem *Bassoram* et pagos ei proximos irruit, oppressisque octodecim hominum millibus, secundum Euphratis littora versus *Bagdadum* aliaque loca in interiore Asia posita contendisse dicitur, maxime infestus exercitui Persico urbem *Bagdad* tunc temporis oppugnanti. Sed nec orientale sinus Persici littus, eodem tempore mali hujus expers

39) *Hufeland's* Journal der prakt. Heilkunde. 1824. Juni. September.

40) In Morgenblatt 1822 N. 235. Magazin der ausländ. Litteratur der gesammten Heilkunde. Hamburg. 1822. 7br. et October.

fuit. Ex urbe enim *Mascate* acutissimus morbus hic, in orientalem quoque plagam advectus, urbem *Schiraz* et *Bender-Abasi* petiit. In quarum ultima quatuordecim circiter hominum millia periisse dicuntur. Qua ratione sensim in universo regno Persico vulgatus est, variasque eius urbes, ut *Cachemir*, *Ispahan*, *Tsheran*, *Taurys*, et alias plurimas atrociter depopulatus ad regiones juxta maris Caspii littora sitas, et ad provinciam *Guylan* aliaque loca Imperii Rossici limitibus proxima pervenit. Hinc itaque egressus, mense majo anni millesimi octingentesimi vigesimi secundi aestuante magnis caloribus aëre, primum in districtu *Talyschin* comparuit, paullo autem post in quodam districtus *Caravan-Kischensis* pago, decem homines enecavit. Die 17 Junii in urbe etiam *Lenkoran* duos homines oppressit. Die autem prima mensis Julii in pago *Kurgalan* longe vehementius saeviit. Die quarta Julii in Insula *Salian*, ad ostium fluminis Cyri (h. Kur) sita, inter piscatores frequens apparuit. Hinc autem in oppidum *Baku* et secundum flumi-

nis Cyri littora grassans, per urbem *Schucha* pagosque adiacentes, in provinciam *Schyrwan* migravit. Jam porro ex oppido *Baku*, testantibus id *Seidlitzio* 41), *Mayero* 42) et *Arendio* 43) mense Septembri anni 1823 in urbem *Astrachan* venit. Quae vero cholera in provinciam *Schyrwan* migraverat, ea in urbibus *Schamacha*, *Kulristan*, *Kusche*, et in districtu *Saitschef* et *Karabaka* potissimum saeviit: quam etiam in viciniis urbis *Tiflis* aestate anni 1822 valde frequentem fuisse monet *Rehmannus* 44) et *Zubow* 45). In ipsa autem urbe comparuit tempore valde pluvioso, et adorta est primum singu la individua, propter incommodam valetudi

---

41) Bericht über die orientalische Brechruhr, welche in Astrachan vom $\frac{9}{21}$ 7br. bis zum $\frac{7}{19}$ October des Jahres 1823 herrschte in vermischte Abhandlungen aus dem Gebiethe der Heilkunde. S. Petersburg 1825. 3 Sammlung.

42) Magazin d. ausländ. Literatur. Hamburg. 1824. März April.

43) *Graeffe* und *Walthers* Journal für die Chirurgie und Augen heilkunde. 6. Bd. 4. st.

44) *Hufeland's* Journal 1824 7br.

45) Ibidem Beylage N. 5.

nem excipiendo malo huic idonea; deinde multos incolas etiam, ceteroquin sanos, in colligendo foeno ad lacum quemdam occupatos, oppressit. Initio demum mensis Julii multo frequentior et gravior fieri coepit, saeviens potissimum in aquarios, hortulanos, et milites. Cholera autem haec, ad quam cognoscendam et curandam praeclara *Gaiewscii* 46) et *Karbinscii* 47), monita non parum contulisse putanda sunt, in *Georgia* et finitimis regni Persici provinciis per totam aestatem grassata est, nec nisi sero jam auctumno, comparente versus finem mensis Septembris gravissima dysenteria, saevire desiit. In India tamen choleram adhucdum vigere discimus ex *Kennedyo* *), qui eam anno 1825 in urbe *Barota* denuo comparuisse et anno 1826 sequentique per totam provinciam *Guzarette* grassatam fuisse refert.

---

46) Наставленіе о лѣченіи болѣзни называемой Холера С. Петербургъ 1823.

47) *Hufeland's* Journal. 1824 7br. 2 Beylage.

*) Notes on the epidemic Cholera. Calcutta, 1827.

MORBI RATIO.

Ex iis quae supra recensiti auctores, item *Bampfieldius* 48) *Scottius* 49), *Greigerus* 50), *Gravierus* 51), *Keraudrenus* 52), aliique 53), acute observarunt, colligimus, Cholerae huius epidemiam non subito, nec uno eodemque temporis puncto, in omnibus simul regionibus erupisse, sed, si vestigia, quae in cursu suo ubique reliquerat, spectes, vias publicas potissimum secutam, paullatim ex aliis in alias civitates nulla anni temporum variarumque aëris mutationum habita ratione migrasse,

48) Practical treatise on tropical cholera more particularly in the East Indies. London. 1823.

49) Report of the epidemic cholera, as it has appeared in the Territories to the Presidency of fort st. George. Madras. 1823.

50) Dissertatio de cholera morbo. Berolini 1823.

51) Relation d'une Epidemie de cholera morbus observée dans l'Inde. Strasbourg. 1824.

52) Sur le cholera morbus de l'Inde ou de Mordechi. Paris 1824.

53) *Convell* (Archives générales de Méd. 1824 7br.) et *Gerson* (Magazin der ausländ Literatur der gesammte Heilkunde. Hamburg 1822. 7br. et October.

ita tamen, ut oppida etiam pagosque ab itinere publico non longe remotos simul occuparet. Quam ejus propagationem ventis nec adjutam neque impeditam fuisse vel inde conjicere licet, quod ea ex provincia *Bengal*, ad urbem *Deccanum* venerat, ventis aliquot menses ex adversa prorsus regione continuo flantibus. Constat porro ex Anglorum observationibus, non solum regiones humidas, uliginosas, densisque silvis obsitas, item convalles colendae oryzae idoneas, nec non prata, in quibus plantae solito majores crescunt, et ubi effuso flumine aliquo, ut: Hoogli, et Gange aquae stagnare solent; sed ne montosa quidem saluberrimaque loca, et amoenissimas planities, morbi acutissimi calamitates effugere potuisse. Quae cum ita sint, licet habitationes angustae, nimia defatigatio, labor denudato vel saltem leviter vestito corpore susceptus, diuturna super humido solo mora, maxime vero frigus nocturnum diurnos calores excipiens, nimius etiam fructuum horariorum usus et reliqui malae indolis cibi, ad augendam morbi vim

non parum contulisse putari debeant; nemo tamen negabit, propiorem epidemiae huius causam, in peculiari quadam illis temporibus aëris natura quaerendam esse, eique tribuendum, cur tot diversae civitates, tam longe a se invicem remotae, semper uno eodemque modo male habitae fuerint. In nonnullis locis morbum, de quo agitur, contagiosum etiam fuisse testantur *Telfairus* 54) et *Kinnis* 55), in insula Sti Mauritii tunc temporis medicorum munere functi: ex quorum relationibus constat praeterea, malum hoc in indigenas potissimum saeviisse, nec nisi decem peregrinos morbi vi absumptos fuisse, reliquos autem, qui derelicta urbe omnem cum hominibus male adfectis societatem per aliquot temporis spatium intermiserunt, ex communi hoc periculo omnino sanos evasisse. Idem se animadvertisse tradit *Kellie* 56), in libro de cholera exerci-

---

54) The Edinburgh Journal 1821 October.

55) Ibidem.

56) l. c. p. 13.

tui Madrasensi infesta. Cujus rei plura etiam documenta apud *Corbynium* 57) *Andersonium* 58), et *Kennedy.* *) invenies.

Quod autem morbi naturam attinet, de ea sane diversissimae Virorum doctorum exstant opiniones. In qua eorum discrepantia, hoc tamen inter omnes convenit, intimam mali causam esse peculiarem quandam organorum digestionis adfectionem, perversae organorum chylopoëticorum actioni aut eorum irritationi tribuendam; hanc autem irritationem, vel ab acri humore aliquo ex ventriculo aliisque partibus prodeunte, vel ab humoribus cacochymicis, materia acri, putrida, biliosa, rodente, vellicante irritanteque, esse repetendam. *Cullen* et *Curtis*, choleram, symptomatum nervosorum constanter eam comitantium habita ratione, omnino spasmodicae indolis esse credidere, suffragantibus *Boyleo*, *Ortono*, *Blanio* et *Bamp-*

---

57) l. c. p. 139.
58) cfr. *Corbyn.* l. c.
*) l. c. p. 67.

fieldio. Recentiorum autem nonnulli, inprimis *Keraudren*, *Gravier*, et *Kellie*, praeeunte *Broussaisio* 59), naturam inflammatoriam morbo huic tribuunt, sedem ejus in phlogosi membranae mucosae ventriculi et intestinorum tenuium potissimum quaerentes. Quam eorum sententiam, signis e cadaverum sectione et medendi methodo petitis, non semel ipsi confirmatam vidimus.

Symptomata. Jam vero Cholera haec adoriebatur cum languore, lassitudine, virium lapsu, anxietate, mentis mira deiectione, vagis artuum doloribus, peculiari extremitatum torpore, dira cephalaea, vertigini iuncta. Subsequebatur deinde faciei pallor cum levi totius corporis horrore, quem brevis ac volaticus excipiebat calor, atque praevia nausea, aliquando uno impetu ac tempore vomitus et alvi fluxus.

Per vomitum autem primo rejciebantur e ventriculo inde intestinisque ciborum

---

59) Examen des doctrines médicales prop. C. IX.

reliquiae, dein materies quaedam aquosa subalbida. Symptomata vero illa vel omnia simul, vel alternis vicibus comparebant, accedentibus huc siti inexplebili, gravissimis abdominis doloribus, surarum crampis, extremitatum frigore, respiratione ob frequens suspirium difficili, lipothymia, pulsusque tanta debilitate ut vix ille percipi posset. Sensim dein omnia in peius ruebant, atque, calore per universum corpus evanescente, cutis frigida viscoso cooperiebatur sudore; vultus aegri tristissimus, oculi in alveis suis abditi, rubri ac sangvine suffusi apparebant; caput ipsum quasi pondere gravatum, ad pectus vel humeros demissum, propendebat. Stomachus vix tolerabili detinebatur dolore, vox rauca et debilis fiebat, vel etiam penitus deficiebat aegrum. Corrugata deinde palmarum et plantarum cuti, contortisque ungvibus, totum corpus modo convulsionibus, ab extrema digitorum parte inchoantibus, iam tonicis, iam clonicis, misere vexabatur, modo sine ullo motu paene mortuum iacebat. Sub finem morbi vomitus plerum-

que cessabat; alvus aegro inscio loturae carnium similis dejiciebatur; aeger autem marcidus magis magisque deperibat, donec omni salutis spe sublata, supremum diem obiret. Praeterea sangvis missus saepenumero niger erat, spissus minimeque coagulabilis; urina per totum morbi decursum parcissima, vel nulla; lingua ab initio ruberrima, dein pallida plerumque humida, vel secunda iam die muco tenaci in crustam abeunte tecta, vel deinde sicca et aspera, aliquando frigidissima et livida. Morbi initio quaerebantur etiam aegri de pervigilio inquieto; sub finem autem coma aut delirium aliquando occurrebat, ructibus sonoris et singultu interruptum. Haec itaque sunt morbi huius epidemici novissimis temporibus grassati symptomata, quae tamen nec semper omnia simul, nec eadem vi in singulos aegros saevìisse fateor. Nunc enim vomitus, nunc diarrhoea gravior erat, interdum nec haec nec ille notabilis. Alii convulsionem per totum corpus, alii vix spasmos leves experiebantur. In aliis omnia symptomata uno eodemque tem-

pore comparebant; in aliis autem anxietas, mentisque dejectio, et virium lapsus, cordis arteriarumque motu simul imminuto, sola morbi indicia aderant. Nonnunquam aeger vixdum de morbo praemonitus, intra aliquot horae momenta e medio tollebatur. Quo fit, ut de morbi diuturnitate quidquam certi adferre nequeam. In plerisque enim casibus quatuor dierum, in aliis vero quadraginta octo horarum spatio curriculum suum absolvit: non semel tamen accidit, ut aegri etiam intra sex horas morbi vi absumerentur.

Cadaverum autopsia. Plurium cadaverum instituta sectione, eadem fere, quae *Whytius* 60) et *Kellie* 61) observarunt, inveni, hoc loco iam breviter recensenda: Cerebri vasa meningea sangvine plerumque turgida; in nonnullis etiam exemplis serum quantitate insolita in ventriculos effusum; in thorace pulmones collapsos et contractos, in

60) Cfr. *Corbyn* l. c.
61) l. c. p. 6.

parte autem inferiori maculis nigris distinctos; cor ipsum et vasa maiora inprimis venosa sangvine nigro et dissoluto distenta; in abdomine, omenti et mesenterii venas sangvine repletas: intestina externe rubra, interne muco viscido subalbido obducta; nec diversam ventriculi speciem, eius autem tunicam internam maculis interdum rubris insignem; in nonnullis exemplis etiam pylori contractionem, quae inprimis *Kellieo* 62) et *Bampfieldio* 63) memoratur. Hepar, pancreas et lien, vel sangvine nigro turgida, vel, idque saepius, omnino sana; cistidem felleam bili subviridi modice distentam; renes plerumque sanos adipe spoliatos; vesicam urinariam fere semper vacuam, saepius etiam contractam, et condensatam adeo ut uteri virginei magis quam vesicae speciem referre videretur 64).

Diagnosis. Morbi in hunc modum con-

---

62) l. c. p. 6.
63) l. c. p. 32.
64) cfr. *Kellie* l. c. p. 7.

stituti diagnosis dubia esse non potuit. Vomitus enim frequens et materiei aquosae subalbidae, saepe etiam a carnium lotura haud diversae diarrhoea, cum variis turbis spasticis, partialibus et universalibus, extremitatum et universi corporis frigore, nec non insigni virium lapsu coniuncta, aperte indicabant affectionem, sub denominatione *cholera morbus* vulgo notam, quae a cholera *sporadica*, vel *epidemica* illa, olim per Indiam latissime vagata, vel maxime differebat nimia symptomatum celeritate, spasmorum diversitate, urina parcissime secreta, aegri vultu mirum in modum mutato, pulsuque vel inter morbi initia parum sensili.

Jam vero choleram hanc, saltem in Georgia, epidemicam, non spasmodicae, ut *Corbynius*, *Whytius*, *Bampfieldius* aliique *Cullenii* opinionem secuti, arbitrantur, sed inflammatoriae indolis fuisse, aut saltem manifestum, iuxta *Raimani* 65),

65) Handbuch der speciellen medicinischen pathologie und Therapie. Wien 1823 B. II.

placita, vehementioris intestinorum, hepatis et ventriculi cum consensuali turba nervosa coniunctae, irritationis effectum exhibuisse, probant potissimum symptomata quae sequuntur: motus febrilis in morbi initio interdum comparens, epigastrii et regionis umbilicalis gravissimus et continuus dolor, magna lingvae rubedo, sitis vix explenda, frequens fluidi a lympha coagulabili haud diversi vomitus et diarrhoea, capitis dolor et vertigo, crebra sangvinis versus superiora congestio, hinc facies rubra et oculi sangvine suffusi, varia auditus anomalia, sopor denique aut delirium, aliaque symptomata, e sympathica *systematis nervosi cerebro-spinalis* affectione manantia. Neque sententiae huic adversantur signa e cadaverum sectione petita, praesertim intestinorum et ventriculi rubor ille, hepar multo sangvine turgens, meningea encephali vasa sanguine repleta; et in exemplis quibusdam serum quantitate insolita in cerebri ventriculos effusum. Ab irritatione denique supra memorata cholerae causam repetendam esse,

docet etiam medendi methodus antiphlogistica, fusius infra nobis describenda, a *Walkerio*, *Scottio*, *Blanio*, *Kellieo* et *Corbynio*, summo cum successu adhibita.

Prognosis. Morbi huius epidemici omnis conditionis, aetatis et sexus hominibus pariter infesti, in variis regionibus varia vis cernitur. In India enim, trium annorum spatio, tricies centena et quingenta incolarum millia e cholera periisse legimus 66); in Persia autem eam minori civium numero letalem exstitisse constat. Quae vero cholera in Georgiam aliasque Imperii Rossici provincias finitimas migraverat, eam e vehementia sua multo plus adhuc perdidisse, quum multis aliis medicis ibidem praxin exercentibus, tum etiam mihi non semel observare contigit.

In genere autem morbus hic, praesertim ab initio periculosus haberi debuit; quippe quem, nisi medici auxilium mature adhibitum fuerit, semper letalem fuisse experientia docuit. Mali autem ominis sym-

66) Magazin der Ausländ. Litteratur 1822. 7br, October.

ptomata habebantur: frigus marmoreum ad praecordia usque sese extendens; cutis, praesertim in manuum palmis et in pedum plantis, corrugata; extrema digitorum contorta; lingva frigidissima; sudores universi viscidi frigidique; facies, jam inter morbi exordia, mutata; spasmi clonici aut tonici vehementissimi; anxietas vix describenda; pulsus demum arteriarum adeo exilis, ut fere percipi non posset. Fiebat quidem nonnunquam, ut, aliquot horae momenta ante obitum, dolores et spasmi, manente eadem cordis arteriarumque pulsus debilitate, paullo imminuerentur, aegrique melius se habere existimarent; plures tamen fuisse vidi, qui, in ipso iam vitae exitu, summa anxietate vexati in lectulis suis volutarentur, infandos gemitus eiulatusque edentes. — Quod ad melioris augurii signa attinet, ea plerumque fuere: pulsus sat sensilis, calor haud multum imminutus, spasmi et convulsiones non graves, materies per vomitum et alvum eiecta bilem in se continens, dolorum et spa-

5

smorum cessatio, melior denique faciei habitus, et arteriarum pulsus elatior.

Cura. Medendi methodus, quam sana ratio et multus rerum usus vel maxime commendare viderentur, in eo potissimum consistere debuit, ut sedatis turbis, quas perniciosissimus morbus concitaverat, refectisque functionibus ab eodem laesis, fractae vires sensim sensimque erigerentur. Ad quem finem obtinendum, post multa medicorum pericula, sanguinis detractio generalis et localis, antispasmodica et stimulantia externe et interne adhibita plurimum conferre credebantur. In morbo tamen acutissimo, qui tanto impetu invadit hominem, eumque vel intra aliquot horas absumere potest, difficile sane erat remedia supra memorata pro re nata ita applicare, ut omnino faustus obtineretur exitus. Non deerant itaque, qui in eo totam collocarent operam, ut mali huius cura certior et facilior reddi posset. Quaecunque igitur hac in re utiliter reperta sunt, ea quum alii plures, tum et nos quoque in usum ducere haud dubitavimus.

In genere autem, potissimum inter morbi initia, symptomata febrilia cunctaque signa tubi intestinalis adfectionem indicantia praeseferentis, *Andersonus* 67), *Walkerus* 68), *Lloyd* 69), *Corbynius* 70), *Kellie* 71) aliique, venae sectionem cum optato exitu adhibuerunt. *Kellie* 72) etiam in nonnullis casibus, ubi cor vasaque eius maiora sangvine oppressa cum morbo iam luctari viderentur, eam solam ad vitales vires excitandas suffecisse refert, adeo ut pulsus antehac vix sensilis, sangvine effluente, manifeste plenior validiorque redderetur; qua ratione et inflammationi et sangvinis congestioni simul obviam itum esse. Nos tamen, quotiescunque venae sectionis instituendae indicatio dubia esset, omnia autem signa ventriculum phlogosi

---

67) The Edinbugh Medical and surgical Journal 1819. N. 60.

68) Ibidem. 1820. Jul.

69) Ibidem. 1821. October.

70) l. c. p. 123.

71) l. c. p. 15.

72) l. c. p. 16.

tentatum declararent, in hirudinum applicatione satis habuimus; quod quidem, praesertim inter infantes male habitos, recte nos fecisse, faustus omnino exitus satis superque docuit.

Praeter sanguinis congrua quantitate abstractionem, sive vena esectionis sive hirudinum ope factam, in compescendo vomitu et spasmis sedandis magno semper auxilio fuit opium: e cuius variis praeparatis frequentissime in usu mihi fuit extractum eius aquosum, cum emulsione quadam porrectum; in quo aegros, donec symptomata levata fuerint, continuare volui. Alii eodem consilio tincturae opii compositae guttas quindecim vel viginti quavis hora vel quavis secunda hora sumendas commendare soliti sunt: quam eorum consvetudinem *Tittlerus* 73), quodvis opii praeparatum, et inprimis eius tincturam vel maxime in curando morbo hoc noxiam esse reputans, plane repudiavit, cru-

73) Наставленіе о лѣченіи болѣзни называемой Холера р. 13.

doque opio in hunc finem uti maluit. Nonnulli etiam opium cum aliis pharmacis, ut: *Corbynius* 74), cum oleo menthae piperitae; *Keraudrenus* 75) autem, cum aethere sulphurico misceri, vel utrumque separatim alternis vicibus porrigi praecipiunt.

Perspecta deinde calomelani in choleram, de qua agimus, vi salutari, grana eius tria, omni tertia hora, vel separatim vel alternis vicibus cum opio sumenda praescribere consueveram. Praecipua tamen remedii huius virtus tum potissimum apparuit, quum morbus, manente eadem pulsus debilitate et extremitatum frigore, quoad vomitum et diarrhoeam paullo relaxasse, quoad abdomiminis vero dolores, maiora incrementa cepisse videretur. Eandem Calomelani virtutem eximiam *Corbynius* 76) quoque, *Kellie* 77), *Wallace* 78), *Milwood* 79),

74) l. c. p. 122.
75) l. c. p. 32.
76) l. c. p. 122.
77) l. c. p. 17.
78) Cfr. *Corbyn* l. c.
79) Ibidem l. c. p. 126.

Tod 80), *Blane* 81), *Kinnis* 82), aliique agnoscunt, qui eo vel solo vel iunctim cum pulvere Jpecacuanhae, et pulvere antimoniali, ita usi sunt, ut dosis eius, aliquoties in die repetenda, nunquam tribus granis esset minor, immo, pro re nata, ad sex, interdum etiam ad quindecim et viginti grana cresceret.

Nonnulli sane, praesertim qui choleram epidemicam in insula *Sti* Mauritii tractasse feruntur, in calomelani locum, sulphatem magnesiae substituere haud dubitarunt; quod tamen non solum sine successu, verum etiam cum magno aegrorum detrimento ab iis factum esse novimus.

Praeter remedia hactenus memorata, medicorum nonnulli 83) pharmaca e stimulantium classe desumpta, praecipue ammonium,

---

80) Ibidem l. c. p. 125.

81) l. c. p. 163.

82) The Edinburgh medical and surgical Journal 1821 Januar.

83) *Marschall. Parker. Finleyson.* et alii confer. *Blanc* l. c. p. 160.

castoreum, oleum terebinthinae et s. p. in usum duxerunt; quo autem exitu nondum constat.

Sed longe maiora adhuc in homines, hac cholera epidemica tentatos, commoda e balnei calidi, corporis frictionum, et enematum antispasmodicorum usu redundasse, quum multis aliis, qui in India praxim exercuerant, tum mihi in Georgia observare licuit. Balneum calidum temperaturae + 33 et + 35 thermometri Reom, in omni morbi stadio commode adhiberi potuit, ubi pulsus esset exilis, urgentibus spasmis et universi corporis frigore. Frictiones spirituosae aut aromaticae sive partiales, sive universales, in eo morbi statu utiles erant, ubi incipiente frigore, colici abdominis dolores et spasmi partiales aegrum vexarent. Sub eadem rerum conditione adhibebantur quoque enemata ex assa foetida, aut cum laudano liquido Sydenhami parata, quae etiam tum magno aegris emolumento erant, ubi opium intus sumptum vomitu rejiceretur.

Sed nec alia quoque remedia, quae graviora cholerae symptomata levare aut lapsas

vires excitare posse viderentur, prorsus intentata reliquimus. Saepe enim ad sedandos abdominis dolores adhibui frictiones mercuriales, et fomenta tepida, non tamen omnino cum optato exitu. Maioris autem utilitatis fuit epispasticum epigastrio appositum, quo etiam *Kellie* 84), usus est; et acidum nitricum, quo *Taylorus* 85) regionem illam se illivise adseverat. Eodem consilio *Andersonus* 86), electricitatem, et galvanismum per regionem cordis transmittendum non sine successu curavit.

Quam hactenus exposuimus medendi rationem, quum a me in Georgia, tum ab aliis alibi diligenter observatam, eam potissimum in acutissimi morbi huius initio salutarem esse experientia docuit. Cunctis enim remediis, mature suoque loco adhibi-

---

84) l. c. p. 17.

85) Наставленіе о лѣченіи болѣзни называемой холера С. Петербургъ 1823.

86) The Edinburgh medical and surgical Journal N. LX. articl. V.

us, intra breve temporis spatium communiter et pulsus fortior, et corporis calor redibant, cessabat vomitus, diarrhoea compescebatur, mitigabantur spasmi, aeger, tanquam e svavissimo somno experrectus, hilariori vultu apparebat. Quicunque autem morbum inveterascere passi sunt, eos, maximam partem, frustra iam ad artis praesidia confugisse vidimus. Nec enim venae sectione instituta sanguis effluebat, et quaecunque intus porrecta hauserat aeger, ea vomitu vehementissimo protinus rejiciebantur; aeger autem in letale coma illapsus, nullo iam pacto resuscitari poterat.

Ceterum, intra morbi decursum, strictissimum regimen diaeteticum commendare, convalescentibus autem, aliquot dierum spatio, cibum et concoctu facillimum, et parvâ copiâ porrigere consuevimus, doctissimi *Kellie* verbis moniti, qui non semel accidisse refert 87), ut helluones morbo iam defuncti, sumpta nimia cibi copia, iterum eodem malo correpti, intra aliquot horas e medio tollerentur.

---

87) l. c. p. 22.

Quoniam vero in nonnullis extra Imperii Rossici limites regionibus, morbus hic contagione etiam in alios vulgaretur, cogitandum sane erat de rationibus et modis, quibus mali propagatio impediri posset. Quam itaque prophylaxin *Kellie* 88) proposuerat, eam aequum est ut, verbis ipsius auctoris usus, in fine scriptionis meae repetam. Haec autem praecepta sunt, quae sequuntur:

α). „Sani omni modo et quàm primùm „a morbo affectis secernendi sunt.

β). „Causae praedisponentes vitandae „sunt.

γ). „Ne homines in domiciliis vel tuguriis sordidis conferti maneant, cavendum est.

δ). „Valetudinaria, cholerâ laborantibus idonea et omnibus necessariis apta, „in locis altis et apertis formanda sunt.

ε). „Morbo affecti ad valetudinaria quàm „primùm mittendi sunt, ut remedia sine „mora adhibeantur.

η). „Oppida, castra locaque omnia, in „quibus morbus epidemicus grassetur, sanis

88) l. c. p. 23.

„fugienda sunt; et ingressus cholera labo-
„rantium in loca morbo immunia quam
„maxime prohibendus est.

i). „Si in quovis tecto vel domicilio sae-
„viat contagio, omnia, quae contagioni de-
„lendae utilia reperta sint, usurpare decet;
„ex iis mundities, ablutio, ventilatio et fu-
„migatio acida *merito laudata* sunt.“

Haec sunt itaque, quae mihi de cholera epidemica dici posse videbantur; eaque breviter et simpliciter exponere hoc loco conatus sum, confidens fore, ut *Tu*, Lector benevole, primum hoc laborum meorum specimen in bonam partem accipias.

In nonnullis quidem, novam viám secutus, a medendi rationibus vulgo inter medicos receptis recedendum mihi putavi. In quo si *Tibi*, Judex candidissime, errasse visus fuero, saltem his poëtae verbis me consolabor.

Si fuit errandum, causas habet error honestas.

THESES.

I.

Pro varia epidemia varia est cholerae indoles.

II.

Choleram epidemicam aeque ac alios morbos epidemicos, sub certa rerum conditione, contagiosam fieri posse, haud immerito suspicamur.

III.

Febrem puerperalem singulare morbi genus habendam esse contendimus.

IV.

Methodus ad calculos urinarios apud feminas eximendos, a *Lisfrancio* proposita, omnino rejicienda est.

V.

In arte obstetricia auscultatio mediata majoris forte esset utilitatis quam in morbis pectoris.

VI.

Non quodvis cordis vulnus pro letali habendum.

VII.

Vomitus mechanismum, non solum in ipsius ventriculi spasmis, sed etiam in musculorum abdominalium et diaphragmatis, constrictione consistere arbitramur.

VIII.

Gangliorum in Aspondylis animantibus series, minime cum vertebratorum animalium columna spinali, comparari potest.

DE

VERTIGINE

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

IN CAESAREA LITTERARUM
UNIVERSITATE VILNENSI

AD

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE LEGITIME
CAPESSENDUM

PUBLICO MEDICORUM JUDICIO
SUBMITTIT

JOSEPHUS ABŁAMOWICZ

LITHVANUS

MEDICINAE MAGISTER

*Anno MDCCCXXVIII. die mensis
Februarii.*

VILNAE

In Typographia Dioecesana Congr. Missionis

1828.

Ex consensu Ordinis Medicorum Imprimatur, ea conditione, ut exemplaria, apud eundem Ordinem, deponantur. Vilnae die 17 Februarii 1828. anno.

D. Nicolaus Mianowski Coll. a Consil., h. t. Decanus.

VIRO LECTISSIMO ILLUSTRISSIMO

ADAMO COMITI

LITAVOR

CHREPTOWICZ

CAESAREAE LITTERARUM UNIVERSITATIS VILNENSIS SODALI. SCHOLARUM DISTRICTUS NOVOGRODENSIS INSPECTORI HONORARIO. ORDINUM S. STANISLAI ET S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI EQUITI etc.

hunce libellum
grati animi

et observantiae testem
extare voluit

AUCTOR.

PROEMIUM.

Morborum, qui corporis humani organismum aggredi ac infestare solent, non minus magna cum cura investiganda ac perpendenda videtur etiam *vertigo:* quippe quae mortalium generi gravissimas clades afferat, corporisque praestantissimam ac nobilissimam partem occupet atque corripiat. Quum igitur speciminis inauguralis argumentum mihi eligerem, hujus praecipue mali vim ac naturam fusius pertractandam sumpsi, ut et doctrinae ingeniique mei, (quantulacumque haec sint) periculum faciam, et vobis, Viri Amplissimi, Illustrissimique hujus ordinis Professores, quorum gratissima memoria nunquam animo meo adesse ac obversari desinet, opusculum aliquod exhibeam, judicioque Vestro venerabundus submittam.

NOMINIS RATIO.

Cujus tamen argumenti pro virili mea pertractationem propositique morbi definitionem priusquam incipiam, *nominis* ipsius *originem* indagandam illustrandamque esse censeo. Vertigo igitur derivari apud latinos videtur a *vertendo*, vel potius a *vortice*, sive ut alias exarari solet *vertice:* quae vox aquam in quibusdam rapidi fluminis flexibus et amfractibus contortam ac circumvolutam, vel etiam rotae, in orbem actae, motum impetumque designat. Graecis morbus idem dicebatur *deinos* vel *dinos;* quod *saltum in gyrum* designat. ac derivatur a verbo *dyneystay circumagi*, *rotari*, aut etiam a substantivo *dine*, quod est *gurges*, *vortex* aquarum. Si vero visus obscuratio ac hebetudo morbum comitatur, atque oculi nube quadam et caligine obfunduntur, tum *scotidini* nomen nanciscitur, aut etiam *scotedinos scotodinos sco-*

todinia dicitur. Sunt enim verba Galeni (a) Hotan he cephale peripheretay, phantazetay dinos honomadzetay topatos, hotan de scotodes he obsis amato de phaynetay scotedinos caleytay. Id quoque morbi genus apud Æginetam graece dicitur *scotoma*, *scotomaticon patos*, quod Plinius latine per *vertiginem* vertit. (Vertiginem oculorum et tenebras, alibi obscuritates oculorum), inde vertiginosi sunt qui eo vitio laborant, apud graecos *scotomaticoy*. Vocatur quoque *Eylingos* apud Hypocratem *illingos* (b) quod derivatur a verbo *eyllingiao*, *illingio*. *tentor vertigine*, sive a substantivo *eylinx illinx vortex*. Cujus thema est verbum *eyleo*, *verto*, *volvo*, quo vocabulo imprimis tenebricosa vertigo exprimitur. Ita Galenus (c) *illingos* inquit, esin he scotidineja: et Alex: (d) illingiosi scotodiniontes apotes exsoten illingos ton idaton cay tes periphores dexamanoy teonoma. Similiter quoque ho illingos hotes cephales scotismos Hesichio dicitur. Hinc Illingo dejes piretoy, febres vertiginosae apud Hipocratem audiunt (e) Aliis etiam nominatur *tornus*, ab instrumento lignarii fabri, cujus ope ligna tornantur, vasaque lignea detornantur ac efficiuntur. Germani morbo eidem imposuerunt nomen *der Schwindel* cujus origo deducitur a verbo *schwinden* areo, aresco, quia, qui ejus generis morbo infestantur, eorum sensibus imagines rerum praecipua cum rapiditate obversantur, et protinus disparere ac quodammodo arescere, arere, videntur Gallice vertigo dicitur *tournoyement de tete*, *vertige*. Anglice *swimming of the head*. Polonice *zawrót głowy*. Rossice *головокруженie*.

DEFINITIO.

Vertiginem igitur dicimus morbum, qui efficit illusoriam transitoriamque atque subitam rerum perceptionem, in qua turbatis aliquanto sensibus auditus ac visus, nec non aliis quibusdam facultatibus

---

a) Com. 4. in libr. de vict. rat. in acut.
b) Aphor. 17. 28. 31. LIII.
c) Com. ad Aphor. 23. LIII.
d) Aphor. LII. probl.
e) Coac. praenot. f. 186.

intellectualibus, non modo res objectaque externa, etiamsi reapse quiescant, circumferri tamen hinc atque illinc, aut saltem variis modis moveri videntur; verum etiam ipse homo, tali morbo affectus, in gyrum agi totoque corpore titubare sese existimat, continuoque ad terram prolabendi metu inquietatur, tum denique ipsum lapsum haud raro experitur.

LITTERATURA.

Mo bum tam gravem complures viri docti illustrandum sibi sumserunt, quorum praecipua nomina hic percensere juvat: Galenus (1) Araeteus (2) Caelius Aurelianus (3) Avicenna (4) Ebn Sinna (5) Oribasius (6) Zacutus Lusitanus (7) Theophrastus (8) Mercurialis (9) Forestus (10) Platerus (11) Boerhaave (12 Villis (13) Ethmiller (14) Hamberger (15) Libavius (16) Scheibius (17) Steinmetz (18) Bailou (19) Sennert (20) Kest (21) Vander mye (22) Rolfinck (23) Die-

---

1) De loco affect. lib. III. C. 8. l. IV. rat. vict. in acut.
2) Chron. lib. I. C. II.
3) Morb. Chron. lib. I. C. II.
4) Canon. lib. III. tract. 5. C. I.
5) Vid. Ebn Sinna C. 24. p. 482.
6) Synops l. vjjj. C. V.
7) Oper. tract. II. p. 243.
8) Tractatus de vertigine.
9) Consil. l. N. 29. 89. 167. II. N. 76. 91. III. p. II.
10) Lib. 10. Obser. 43. 46.
11) Prax. Medi T. I. p. 185.
12) De Morb. Nervor. p. 480.
13) Oper. T. I. p. 184.
14) Oper. Omn. p. 428.
15) Dissert. de Vertig. Tubingae 1589.
16) Dissert. de Vertig. Jennae 1591.
17) Dissert. de Vertig. Lipsiae 1592.
18) Dissert. de Vertig. Lipsiae 1596.
19) Dissert. Suntne Vertig. maior mor. prodr. Parisiae 1597. Comment. in Libr. Teophr. de Vertig. Opp. I. p. 291. Consil. III. N. I. 24. 62. 101.
20) Dissert. de Vertig. Virtember. 1610. 1626.
21) Dissert. de Vertig. Lipsiae 1621.
22) Histor. Medic. de Vertig. opp. ad tract. de Artritide Hagae 1624.
23) Dissert. de Vertig. Jennae 1633. 1644. 1665. Disert. de Vert. Diagnos. Jennae 1659. Dissert. de dolore Capitis vert. et phrenitide Jennae 1633. 1635. 1651. 1652.

merbroeck (24) Fridericus (25) Mangold (26) Bauhinus (27) Vedel (28) Krokisius (29) Eychner (30) Nicolai (31) Sauvages (32) Plouquet (33) Martinus Franciscus (34) Joh Christoph Schuster (35) Merclini (36) Stulhman (37) Conradus (38) Chiiden (39) Birgerus (40) Arnoldus (41) Bolhmann (42) Meurerus (43) Zihn (44) Gerberus (45) Pelling (46) Schneyder (47) Charisius (48) Geriae Martini (49) Landr Beauvais (50) eximie vero et novissime Marcus Herz (51).

SYMPTOMATA.

Vertiginem oriundam non raro praecedunt, ejusque sunt quasi praenuntia signa, crebra sanguinis versus caput congestio, otii desiderium, digestionis quaedam incommoda, ut anorexia vel os insipi-

---

24) Disput. de Mor. Cap. N. 10. Dissert. de Vertig. Jennae 1652.
25) Dissert. de Vertig. Jennae 1669.
26) Dissert. de Vertig. inpri Literator. Erfort 1673. v. Opusc. Medic. Phisic.
27) Dissert. de Hemicr. in Vertig. transeun. Basi. 1677.
28) Dissert. aeger. Vertig. laborans Jennae 1682. Dissert. de Vertig. Jennae 1707. Dissert. de Vertig. 1741.
29) Dissert. de Cephalal. habituali cum Vertig. Regiomonti 1703.
30) De Vertig. genesi. Hal 1758.
31) Program de genesi vert. 1759.
32) Nosol. Methodica T. III. p. 236.
33) Dissert. de Vertig. Tubingae 1783. Ducring. l. c. p. 168.
34) Dissert. de Vertig. Virtenber. 1698.
35) Dissert. de Vertig. Jennae 1690.
36) Themata de Vertigine Tubingae 1589.
37) Dissert. de Vertig. Amsterdami 1699.
38) Theses Medicae de Vertigine Basileae 1702.
39) Dissert. de Vertigine Jennae 1707.
40) Dissert. de Vertigine Jennae 1648.
41) Dissert. de Vertig. 1688.
42) Dissert. de Vert. Diagnozei prognozei kay Therapeia 1659.
43) Dissert. de Vertig. Lipsiae 1621.
44) Dissert. de Vertig.
45) Aeger laborans Vertigine Jennae 1682.
46) Dissert. de Vertig. Jennae 1665.
47) Dissert. de Vertig. Lipsiae 1628.
48) Dissert. de Vertig
49) Dissert. de Vertig. ex ventriculo Francofourt 1719.
50) Dissert. de Vertig. 1815.
51) Versuch iber der Schvindel. Berlin 1791.

dum; vel ventris inflatio, vel alvus obstructa, atque deinde pulsus justo lentior, et nonnunquam ac si diorotus esset. Saepissime tamen exoritur subito; tantaque rapiditate, ut signa, quae eam antecedunt, vix quondam discerni possint. Quacunque autem ratione oriatur, rarissime fit, ut illa continua maneat, sed potius per accessiones quasdam revertitur. Jam vero sub ipsum ejus adventum, primo omnia externa rerum objecta, quae quidem immota quietaque manent, non solum tremere, nutare, in diversas partes moveri videntur, verum etiam, modo sursum ac deorsum ferri, modo in orbem agi; interdum quoque alieno ac minime sibi proprio colore, praesertim vivido quodam, scilicet purpureo, variegato praedita; vel scintillarum adinstar fulgere, *Boylo*, *Areteo*, *Boerhaavio* et *Sauvagesio* testibus. Mox vel sensus auditus varium in modum efficitur, jamque tinnitus et bombus, jam clamor et clangor, jam horologii tanquam motus (52) murmurque per saxa magno impetu cadentis aquae, jam denique millenarum campanularum sonitus percipiuntur perpetui. Subinde male habentur et alii sensus externi: Olfactus enim vel deletur vel pervertitur, gustusque simul minuitur pro tempore, vel alienus evadit, *Duverney* observante. Quid? quod ipse etiam sensus tactus perdurante vertigine vitio cuidam subjicitur, quum res nimirum sub digitis vel duplicatae, vel in forma sua mutate percipiuntur, *Sebiz* adseverante. Porro licet ex hac diversissima sensuum externorum adfectione jam facile pateat, facultates ipsius animi haud penitus immunes esse in vertigine; at contra laeduntur illae magis, tum imaginationis, tum judicii; tum denique liberi arbitrii aliquando ratione habita. Quod spectat alia signa, sub vertiginis adventum observanda, facies nunc rubet, nunc pallescit; respiratio maxime congestione sanguinis versus caput, anxia anhelosaque efficitur; pulsusque aut exilis, frequentissimus aut evolutus tangitur. Morbo autem ulterius procedente, aut aliquoties iterato, aut denique vires graviores comprehendente, praeter solita ac supra

---

52) Duverney. Traité de l'organe de l'ouie.

recensita indicia, visus etiam obiecti simplicis geminatur (53) dein obfuscatur, tenebrisque quodammodo obnubilari videtur, aures obturantur, corpus universum torpet, aut saltem ejus extrema; cor vehementer pulsat, non raro quoque urget vomitus, tum atrae et viridis bilis, tum muci tenacis; sin minus, saltem molesta vomituritio. Denique supervenit insolitus timor (54) summa anxietas, vires deficiunt; praecedente vero musculorum impotentia, corpus totum vacillat; aegri ad lapsum fiunt propensi, denique reapse collabuntur. Quod postquam factum est, fugit mentis constantia, pulsus silent, spiritus vix perceptibiles trahuntur, aegrique vel epilepticorum more, vel tamquam lipothymia prehensi, humi procumbunt. Verum extra paroxysmum vertiginosi soepe capitis gravedinem accusant, suntque somnolenti, minime ad agendum meditandumque idonei, continuis insomniis miseri vexantur, sub ipsum vero somnum pavoribus exagitantur, vel ipso incubo non raro detinentur. Morbi huius insultus, sive levior ille sive gravior sit, rarissime sexagesimam horae partem excedit, vel etiam ejusdem spatii nonnisi dimidium perdurat: nobismet tamen ipsis usque ad sex minutas illum protractum videndi occasio oblata erat. In universum autem, computatis omnibus mali accessionibus, nunquam vertigo perseverat diutius quam horam, nychtemerum unum vel duo. Tamen visa erat ejus species chronica, qua teste J. P. *Frank* sub qualicunque inclinatione capitis ad latus, sensui constrictionis colli adjuncta, quidam aeger decem propemodo annos excruciabatur.

AUTOPSIA.

Ab antiquissimis inde temporibus, ad nostram usque aetatem innumerae cadaverum quondam verti-

---

53) Boerhaavius narrat historiam filii, qui patri adstans ut turri qui deerant reficeret, dixit videor mihi videre duas turres qnibus verbis prolatis mox praeceps lapsus fuit.

54) Timor ait Lametrie tam cito vertiginosos corripit, ut firmissimo philosopho atque robustissimo militi, nemini denique parcat.

gini subjectorum, sectiones suppeditant nobis quae sequuntur: Membranas cerebri inflammatas, inque illis tumores varii generis enatos; (55) vasa cerebri omnia vel eorum complura, ossificata, angustata, sanguineque repleta (56). Nonnulli vero invenerunt cerebri anfractus humore seroso (57) pituitoso (58) cruoreve (59) repletos, hydatidibus obsessos (60) probabiliter taenia hydatigena (61) glandulam quoque pituitariam partim ulcerosam, partim vero una cum pineali scyrrhosam; plexum choroideum rubicundum, ipsum cerebrum apostematosum gangrenosumque (62) Porro conspiciebantur tumores lenticulares, ventriculos cerebri laterales occupantes; (63) vel in eosdem sangvis effusus, vel ichor copiosus *Mejero* adseverante. Deinde praeter laesiones varias in encephalo cernendas; non raro simultanea hepatis (64), cistidis felleae (65) nec non renum vitia (66) observantur.

---

55) Bonnet in Sepulchr. Dodoneus obser. med. C. vjj. Horstius T. II. L. II. Obser. IV. Forestus L. 10. Obser. 21. Schenckius. His. ser. sang. p. 15. §. 108. Carol Piso. de Morb. a ser. Coll. orin. P. II. S. II. C. vj. villis de anim. Brutor.

56) Plater in libr. de sensu laesione.

57) Wepfer. Obser. p. 251. Bonnet. sepulch. L. I. Sectio II. Obser. 1. 2. 4. Bang. act. R. Soc. Med. Hof. Vol. I. p. 280. Morg. Disser. exhi. Obser. Anatom. bigam cum Epicr. Regiom 1792.

58) Bahoin. Theatr. anatom. Plater. Obser. L. I. C. 101. prax. T. I. C. vjj.

59) Sepulchr. Anatom. L. I. C. II.

60) Bonnet. l. c. Obser. 9. Vepper. de Apoplex. p. 69. 70. Mangetus Bibli. pract. T. IV. p. 891.

61) Cfr. Benedict. vict. Faventin. Fr. 1. S. 1. C. 4.

62) Bonnet. l. c. obser. 6. 7. 8. Scultetus. Obser. 10. 11. 19. pag. 78.

63) Bonnetus in hominibus et ovibus invenit. Rolfinckius vero vidit vesiculas humore aqueo repletas etiam in tertio ventriculo cerebri. Bohmerus similiter in quadam virgine ex vertigine mortua, praeter serum copiosum qui in cerebro contentus fuit, observavit ventriculum cerebri tertium turgescentem, membrana crassa et callosa obductum, cum fungosa substantia, magnitudinis nucis avelanae majoris, cruciformi nervorum opticorum conjunctioni incumbente.

64) Boerhaave de morbis nervosis p. 494.

65) Immort. J. Franc. prax. Medi. praecept. sub articulo de vertig. V. III. p. 546.

66) Epit inst. med. p. 258.

Causae dispo. Senes (67) magis quam juvenes obnoxii sunt vertigini, feminaeque (68) potius quam mares; homines demum constitutionis nervosae, quorumque corpus plethora universa aut saltem partiali, et praesertim circa caput, laborat (69).

C. Excitantes. Causae, quibus excitatur vertigo, variae sunt admodum: et primo quidem vel psychicae, vel phisicae. Jam psychicarum praecipuae sunt: conspectus alicuius obiecti vel etiam multarum rerum, quae impetu rapidissimo circumferuntur aut velociter nimis moventur; statio in excelso quodam ac praerupto loco, inque profundum despectio: perceptio diversorum sonorum, qui vehementer aurem afficiut, ac citissime alius post alium sequuntur; motus hominis admodum velox, insolitus (70) vel rotatorius, vel etiam retrogrediens; molesta quaedam nutatio, cujus generis est a terrae motu ac tremore illa profecta (71) otium quoque et quies (72) sine modo ullo, ac nimis in longum protracta. His annumerandae, animi graviores affectiones ac pathemata, cujus generis exempli gratia, timor existimandus est; adde quoque iram, moerorem profundum, zelotypiam (73) tum etiam amorem infelicem, et alia id genus. Quod vero spectat causas phisica ratione agentes, harum aliae idiopathicae, aliae consensuales sunt: quarum priores, sive idiopathica ratione vertiginem excitantes, sunt externae violentiae capiti illatae (74) nec non varii morbi ipsius encephali (75). Magnam vim quoque habent ad excitandam vertiginem omnia, quae aut systema nervosum praeceteris adgrediuntur, cujus generis putanda sunt: varia narcotica opium (76)

---

67) Hipocrat. L. III. Aphor. 31.
68) Testante Whytt.
69) v. Frider. Hoffman. Medi. System. rat. onal. T. IV.
70) Forest. l. 10. Obser. 49. Engel. spec. N. 2. de Vertigine nausea et vomitu eorum qui curru vehuntur.
71) Baglivium Boerhaavium.
72) V. Bollman I. Christian. Ludov. Charisi. Dissertationes de Vertigine.
73) V. Chri. Lud. Chris. Dissert. de Vertig. ex ira Hoffman l. c. obs. 7. stoll. l. c. p. 338.
74) Aegineta lib. III. c. 12. Avicenna l. III.
75) Morgagnius Epit. vj. N. 2. 6. Epit. IV. N. 2.
76) l. Mangold.

Belladona (77) Aconitum, Hiosciamus (78) nicotiana, Fumus carbonum. Lithantracum; varia excitantia, ut moschus, ambra, iasminus etque; aut singulos sensus externos adficiunt, praesertim olfactum, ut varia odoramenta jam svavia, jam foetida; gustum, ut acria remedia, vel nutrimenta: et tactum ut doloris sensatio, quorumdum exanthematum et impetiginum symptoma: aut deinde ipsi modo cerebro inimica habentur, quibus pertinent, somnus protractus, vigiliae modum excedentes (79), studiaque literarum nimis assidua (80). Porro inducit vertiginem jactura nimia sanguinis (81) nunc spontanea, nunc arte excitata, jactura seminis (82) diarhoea nimia, aliusque humoris serosi, vel purulenti dispendium multum (83). Neo denique abest vertigo ab hominibus quorum corpus aut syphilide (84) aut scorbuto contaminatum habetur, quorumve sanguis in mixtione sua, passim ob commemoratos nuper morbos, passim quoque aliam ob causam permutatur. Pariter agit in hominem vertiginemque inducit systema vasculosum adfectum aut universum, aut in parte ejus quadam, indeque ortae crebrae versus caput sanguinis congestiones, quod vel ex nimia activitate vel ex inertia, tum etiam ex systematis arteriosi, tum denique venosi proficisci solet: neo non similem effectum excitant capitis insolationes, rheuma, ira fortior, abusus spirituosorum, suppressio quadam excretionum vel serosarum vel cruentum et sic porro. Per consensum autem tum organorum, tum systematis corporis humani diversorum, in causis sunt vertiginis omnia, quaecunque organa digestionis adficiunt; ut: error in diaeta (85), quies,

---

77) Strurc in Hofelan. Jour. de pra. Helc. xvj. 13. 3. p. 132.
78) Bollman Discursus Medic de Vertigine.
79) V. Bollman.
80) l. Mangold.
81) Johan Henric Zihn Dissert. de Vertigine.
82) Stou. et etiam continue observationes medicorum.
83) Herz p. 336.
84) Astrucius in libris de Morbis venereis p. 335. 359.
85) Mart. geriae Disser. de Vertig. ex ventric. Hoffmanus opp. III. p. 222. v. Bergen. Dissert. de Vertig. ex ventri. Fr. ad viadr. 1719. Rahn. Disser. mirum inter cap. et viscer. addo, commer. p. 65. Herz. c. p. 338.

castaneum (86) petroselinum (87) allium, flatus (88) acida primarum viarum, vermes (89) omniaque remedia acria quae vehementer stimulando ventriculum et intestina, ipsum cerebrum per consensum afficiunt. Non raro etiam aggreditur vertigo fameticos (90), homines subiectos vel obstructioni hepatis, lienis, glandularum mesaraicarum, vel adfectioni cuidam organorum uropoeticarum, vel denique genitalium internorum.

Natura morbi. Quod morbi naturam spectat proximamque causam, qua vertigo excitari ac adduci possit, variae variorum hac in re existunt sententiae. Alii nempe autumabant praecipuam vertiginis causam ponendam esse vel in spirituum animalium motu inordinato (91) vel in eorum in gyrum actione (91) vel in spirituum motu rotatorio, a fervescente sero in capite universo praecipue in dura meningis sinubus producta (93); vel in mixtione spirituum silvestrium cum iisdem in cerebro contentis (94), vel tandem in collectione quadam vaporum calidorum in capite genitorum aut ibi delatorum (95). Alii dicebant vertiginem proficisci, jam ex oculi musculorum tremore, eoque ipso tempore retinae situ mutato (96), jam ex vacillatione membranarum ac vasorum cerebri et convulsivo quodam lentis cristallinae motu (97) jam in motu retinae inordinato sive a nervis, sive ab

---

86) l. c. p. 8.
87) Savanaroll. ac Saxon. apud Frideri.
88) Commerc. liter. p. 215.
89) Joh. Zihn. Dissert. de Vertig. Bollman. Dissert. de Vertig. Wepfer. obser. p. 230.
90) Platerus Lib. 1. Montanus. consil. 28. et Hipocrates ait. si quis prandere consvetus atque cui prandere conducat, non prandeat protinus ubi tempus praeteriit, gravis impotentia exoritur, tremor tenebricosa vertigo.
91) Galen. l. c. de loco affec. 8. 4. de ratio vict. acut. l. 42. v. disser. de vertig. Meureri Bihnii.
92) Alexandr. l. problem. 67. et Celsius II. Problem. 92. Galen. l. c.
93) Carolus Piso.
94) V. Fridericum.
95) Mangold. Ballon. Comment. in Theophrast. v. de vertigine.
96) Pelling. Dissert. de Vertigine.
97) Mercurialis.

arteriis orto, motuque bulbi oculi involuntario (98) nec non ex oculorum obnubilatione per sangvinem continentem in se nigram quandam fuliginem (99); aut denique in nervi optici peculiari adfectione (100). Neque deerant, qui, ut proximam vertiginis causam, incusarent effervescentiam humorum acidorum cum iisdem alcalinis connubio excitatam (1), aut demum humorem biliosum in ventriculo sive alio in viscere ebullientem, atque caput, praeceteris corporis partibus adficientem (2). Nonnulli vero omnibus hisce speciosis hypothesibus posthabitis, simplicem tenentes viam, vel depravatam hominum imaginationem, vel subitam nimis impressionem, sensibus inflictam, ejusque vehementem ad animam transitum, vel denique peculiarem vixque explicandam sensorii communis adfectionem, ut fontem remotamque causam vertiginis statuebant asserebantque. Quarum ultimam opinionem nos etiam sequimur, assentimusque Boerhaavio his verbis dicenti. „Quaero nunc porro „ quaenam sit sedes hujus mali (vertiginis), id est „ quaenam pars in corpore affecta sit. Quando ille „ morbus adest, et quae iterum liberatur quando re„ cedit? Respondeo, sedem illam esse in sensorio com„ muni, non dico causam integram sed ultimam af„ fectionem, quando vertigo infestat, esse in hoc lo„ co. Probo hoc sequenti modo: nunquam fit ille mor„ bus sine affectione visus, cujus organum perturba„ tur, afficitur enim in motu, quippe omnia obje„ cta videntur semper rotari, hinc organa visus ea„ dem ratione se habent, ac si objecta moverentur „ ante oculum: afficitur in colore, nam colores ap„ parent caeruleovirides et distinguuntur tamen ob„ jecta, nec totum objectum confuse circumvertitur, „ sed distincte cernitur, afficitur ipse oculus, sive „ fiat mutatio axis visus vel oculi, vel retinae, nam „ apparet visus geminatus, suntque vel duo foci, „ vel duo objecta in uno foco, ultimo terminatur in

---

98) Birgerus.
99) Arnold. dissertatio de Vertigine.
100) Ghiden.
1) Fridericus c. vi.
2) Piso l. c.

„ tenebras, quae est mera visus adfectio. Afficitur
„ etiam auditus, nam conqueruntur de tinnitu, sibi-
„ lo, bombo, de murmure aquae quasi ex alto laben-
„ tis in corpus elasticum, et de fremitu maris ad
„ aures quasi appellantis. Hoc ipsum docet vacilla-
„ tio, tremor, resolutio, lapsus, afficitur ergo eti-
„ am illa pars, quae affectionibus animi inservit, et
„ quia omnes musculi vacillant, hinc afficitur senso-
„ rium commune in parte impetum faciente". Utcumque tamen res se habeat, adfectio ista sensorii communis, non est utique universa et absoluta, sed potius partialis et relativa, quippe simulac facultates cerebri seorsum consideratae, male habeantur, tum aliae quoque necessariae facultates, si quidem mutua quadam necessitudine ut inter se conjunctae, aegritudinem ab illis contrahere coguntur. Et quidem perturbatio sensuum externorum, maximeque visus et auditus, motuumque voluntariarum debilitas, praecipua vertiginis indicia, designant, vim cerebri sensitivam et motoriam, perdurante morbo, quadantenus adfectam esse: sed quum haec omnia perpetuo consecutiva, nec inter se conjuncta, nec alia demum ratione sibi conformia sint, et nunquam permanentia: sed potius transitoria existant, demum ipsa magis imaginatione appareant quam revera fiant, tum etiam genita in homine: cujus judicium cum mundo pariter perversum videatur exstant: inde sequitur, vertiginem quoque ad facultatum intellectualium aberrationem potius, quam ad vis sensitivae aut motoriae encephali vitium aliquod, revocandam esse. Itaque vertigo nobis est vesania quaedam, maximeque ejus species *Hallucinatio* adpellata, nimirum aberratio illa functionum intellectualium in qua, sensubus externis optime valentibus, ideae objectis haud respondentes concipiuntur. Huic sententiae (Marc. Herz.) (J. Frank) admissae hisque verbis primum Sauvagesio prolatae. „ Vertigo est hallucinatio, qua ob-
„ jecta, licet quiescentia, e loco moveri vel in gy-
„ rum nobis versari videntur". Quodammodo Burse-
„ rius refragatur ajens; atsi hallucinatio ad mentem
„ spectat, non video cur inter hallucinationes, ver-
„ tigo collocanda sit, cum vertigine correpti probe
„ noscant, advertantque, rotationem illam non esse

„ veram sed apparentem tantummodo; neque hinc falso judicant errantque, ut inter errores mentis locum mereatur. At inquies non errant quidem in judicio sed in imaginatione, sive mavis in sensatione. Quicunque demum error iste sit, talis tamen est, ut cum mens, illico advertat ac reprobat, nec proinde ad vesanias hallucinationesque referre queas. Adde titubationem corporis, cadendi metum, obscurationem visus, tinnitum aurium, aliaque in vertigine saepe occurrunt, non esse errores phantasiae, mentisque hallutinaciones, sed vera et genuina incommoda". Quae Burserii de Vertigine opinio, est forte causa, cur aliorum quoque virorum doctorum judicio morbus hic in ordinem nervosium singalarem, *debilitatum* nomine insignitum, referatur, ac non nisi ab alia ac diversa vesaniae informatione dependere videatur. Et profecto, si recentissimorum scriptorum placita, quorum hic auctoritatem sequimur, in mentem memoriamque revoces, scilicet *Esquirolii*, *Georgetii*, *Marcianii*, *Neumanii*, vesania non solum est illa perfecta facultatum intellectualium aberratio, sensorrii nimirum communis vi percipiendi repraesentandi et judicandi ratiocinandique realitati vel veritati objectorum externorum idearumque reflexionis facultate genitarum minime conformi constans, veraeque insaniae nonnisi speciem aliam complectens, verum etiam per vesaniam intelligitur quoque imperfecta mentis alienatio, quae potius hallucinatio appellanda sit, in qua nimirum ideas objectis minime respondentes percipimus, sensuumque externorum officio illaeso, memoriaque et judicio sanissimis fruimur. Qua autem ratione forma vesaniae ista inducatur, et quanam ratione producenda sit, id admodum nos latet. Atque non inanis utique conjectura erit, sicut aliarum nervosium, ita etiam vertiginis (quae vesaniae species est) praecipuam esse causam, vitium, diversum sensibilitatis. Vim scilicet systematis nervosi propriam, quae facultatem possidet, nunc impressiones varias nervorum extremitatibus in superficie corporis applicatas, non solum recipiendi sed et percipiendi; easdemque cum conscientia perceptas, ad sensorium commune et ex hoc denuo per fibrillas nerveas in variis directionibus ad diversas corporis

partes propagandi, nunc demum mutationes, vel ex ipsa sensatione interna profectas repraesentandi, vel a sensibus externis in cerebro excitatas atque objecto externo repetendi, easque postremo raciocinii seu judicii ope inter se comparandi. Vitium vero istud sensibilitatis diversum, constans in vertigine, aucta, imminuta, vel tandem abolita ipsius cerebri sensibilitate, producitur vel causa quadam substantiam cerebralem quamlibet (sit ne ea quae praeest functionibus intellectualibus, corticalis aut medularis) dynamico modo vel illo demum physico laedenti, jam seorsum, jamque jugiter cum aliis demum partibus proximis.

DIAGNOSIS.

1). Perscrutatis jam vertiginis symptomatibus, cognitisque causis quibus ea inducatur, perlevi momento signa atque indicia, quae tum ad universam morbi diagnosim, tum singillatim ad varias ejus species designandas plurimum conferunt, stabiliri, ac statui possunt. Et quidem, illa, quam diximus, rotatio rerum extra nos positarum, quae quamquam quieta et immota persistant, circumferri tamen et rotari videntur; cui quoque visus obnubitatio adjungi solet; omnium objectorum colores mutati ut quidem aegris videtur; audiendi facultates laesae ac diminutae, corporis denique universa, eaque momentanea debilitas, sunto praecipua et solita vertiginis indicia.

2). Monuimus quidem superiori loco, extare etiam multa alia signa quibus aliquando vertigo stipatur, et omnia haec quae supersunt, dependent potius a morbi varia duratione, ab ejus cum aliis demum aegritudinibus commixtione, ac deinde quod potissimum est, a diversa ipsius mali vi et vehementia. Itaque quo melius quodvis indicium exponatur; ac demum quo facilius intelligatur earum precium singillatim ex-explicandum, vertiginem bipartito dividimus: altera nempe levior est, altera gravior. Prior species praeter rotationem objectorum, atque evidentem sensus visus adfectionem, ac non raro aliorum quoque sensuum varias molestias (licet illae saepe instabiles habeantur) tum etiam praeter aberrationem facultatum

animi quarundam, praesertim imaginationis conjungitur saepissime cum faciei rubore, interdum palore, respiratione impedita, anxia, ac postremo pulsu aut exili frequentissimo aut evoluto illo. Talis gradus vertiginis apud veteres simplex nominabatur, dum vero visus magis abfuscatus erat, tum vertigo tenebriosa aut scotomatica dicebatur. Graviori vero in gradu vel in veterum vertigine caduca, aut aliquando increscente morbo, objecta oculorum duplicantur, visus brevi post obnubilatur, et quasi tenebris suffunditur, sensus auditus prius exasperatus, in actione sua imminuitur, imo plus minusve surditas supervenit, aliique sensus evidentius patiuntur. Porro torpent extremitates, arteriae temporales carotidesque evidenter pulsant, cor vehementer palpitat, nonnulli vero experiuntur, vomitum bilis atrae viridis, vel pituitae spumescentis, vel meram aquam ejitiunt, aut saltem ingenti ad vomitum stimulo vexantur, neque satis! ulterius enim procedente morbo, adjungitur demum inpersvasibilis timor, suspirium profundum: summa anxietas, labefactantur vires, resolvuntur genua, totum corpus vacillat, continuusque collabendi metus adeo vexat, ut aegri vel adminicula varia, quibus inniti possint, vel adstantium opem quaerant. vel tandem supervenit absentia animi, pulsus disparent, respiratio vix perceptibilis evadit, aegrique jam quasi lipothimici, jamque epileptici aut apoplectici in humum cadunt. Terminato hoc soepe per accessiones redeunte, non raro aegri hac vertiginis specie detenti, incusant dolorem, gravedinemque capitis, somnolenti fiunt, nullius numeris ac officii idonei existunt; continuis in somniis vexantur aut etiam pavoribus in somno exagitantur, imo ipso subinde incubo detinentur.

3). Sed quaecumque vertiginis species erit, ea vel ipsa pro morbo habenda, vel effectus aliarum affectionum acutarum chronicarumve putanda est. Quae cum ita sint, vertigo per se ipsam constituit morbum, quippe quae ex affectione locali systematis nervosi, potissimum vero cerebralis, externa vel interna quadam causa excitata producatur, nulla alia praevia aut praesente in corpore humano aegritudine, sive organica, sive systematica. Jam vero eam levio-

rem inque hoc statu transitoriam rarissime vero permanentem, propriamque hominibus temperamenti nervosi crebro infestantem debilitatos nimia humorum jactura, aut convalescentes ex quibusdam male curatis ac imperfectae solutis morbis, cujus generis sunt: febres intermittentes porniciosae, febres nervosae, encephalitis, hydrocephalum, apoplexia ettque. Eam inquam, leviorem vertiginem excitare solent: adspectus terribilis cujusdam objecti, inanitio, animi pathemata, lucubrationes nimis in longum protractae, narcotica spirituosa; motus insolitus, atmosphera austrina, proxime insequentes cum fragore coeli et tonnitu tempestates, externa violentia capiti illata, etiamsi levissima quidem fiat. Haec autem frequentissima vertigo, sive *simplex* illa sit, dum scilicet vel exteriora objecta, vel corpus nostrum, vel utraque simul circummagi ac rotari videntur; sive *tenebricosa*, quando nimirum practer apparentem objectorum rotationem ac motum, visus quoque obscuratur aut deficit; sive etiam (quae rarior est) *caduca* quando videlicet vertigo adeo invaluit, ut aeger obvia quaeque comprehendere, ne corruat, cogatur nunquam fere cum sangvinis versus caput congestionibus aliisque innumeris inde proficisci solitis incommodis insequitur, sed potius a modica alvi evacuatione incipit (quae alias vertiginosis salutifera est) eamque comitantur motus quidam spastici, ut pectoris constrictio, extremorum torpor, ac perfrigeratio, urinarum lympidum profluvium, ructus nidorosi, ac denique hemorhoidum vel menstruorum (si etiam num fluant) a recto tramite aberratio. Quod vero spectat vertiginem qua est effectus aliarum adfectionum acutarum et chronicarum, ea constat in cerebri peculiari cum maxime vitio quodam sensibilitatis, at minime primario, satius sympatico vel secundario, proficiscitur vel adfecti systematis arteriosi, vel lymphatici, vel adfectorum organorum quorundam causa, quique morbi demum varii, vertigine excitata, aut silent quodammodo, aut sunt adhucdum patentes, atque una cum illa simultanea ratione ultro decurrunt. Excitant vero hanc vertiginem, nullo jam habito respectu ad hominum constitutionem, eorumque in varios morbos dispositionem, plethora vel u-

niversa maxime encephalo infesta, vel partialis illa cerebri, quae effectus est, soepissime vitii haemorrhoidalis menstruorum retentionis; abusus liquorum fermentatorum; frigus aestuante corpore exceptum, retropressa artritis, vel impetigo quadam cutanea, varia gastrica vitia, latens demum plica, morbique varii cachectici, ut scorbutus, syphilis etc. Orta inde hisce de causis in corpus agentibus, ac cum maxime cerebro infestis, vertigo, gravior perpetuo, levior rarius habenda, crebrius permanens, quam transitoria, perque paroxismos rediens, praeter solita ei indicia, habet demum vel alia adjuncta. Idcirco si ex plethora provenit vertigo, constanter faciei rubore, capitis praesertim ad occiput gravedine, lumborum dolore, spiritu difficili, pectoris oppressione, cordis palpitatione, alvi tandem tarditate, et motibus febrilibus persoepe stipatur. Vertigo, quam adducit rheumatica corporis affectio, cum quadam membranae serosae irritatione conjuncta, aut peculiaris cerebri aegritudo frigore concitata, ei quae plethora oritur haud absimilis, inchoat praeviis artuum doloribus ac decurrit ulterius, vel symptomatibus catharrhalibus, vel illis ad rheumatismi potissimum levioris speciem pertinentibus distincta. Pari ratione vel in vertigine cujus in causa sunt aut retropulsa artritis, aut impetigo quaedam, potissimum herpes, psora, psydracia, aliquando zoster retrocedens, praeter sensuum externorum maxime vero visus et auditus laesionem, praeterque debilitatem corporis, collabendi metu insignitum, circumsistunt multa incommoda alia, circum caput et abdomen, praesertim cephalea vehemens, dolor scrobiculi periodicus dispepsia junctus. Quam excitant vitia gastrica praesertim obstructiones viscerum abdominalium vel irritatio ventriculi et intestinorum chronica, dignoscitur oris amarore, nausea, vomitu frequenti bilioso, anorexia, tenso et duro hypochondrio utvolibet, alvo obstructa, doloribusque ventris colicis. Vertigines autem plicosorum, scorbuticorum syphiliticorum cognoscuntur praeprimis jam indiciis morbi ex anamnesi petitis, jamque iis demum quae aliquando vel obveniente hac vertiginis varietate sub ipsum examen aegrotantium patent, quibus adcusandi si de plica latente agatur, in

scrobiculo molesta sensatio, formicationis in dorso et in artubus sensus, habitus faciei peculiaris, sudor profusus male olens, dolores interni ossium imprimis mutata coeli temperie acerbiores; si scorbutum conjecturamus, halitus foetens, gingivarum cruentatio, echymomata, corporisque universi laxa conditio; si autem de syphilide quaeritur, dolores osteocopi nocturni exostoses variis in locis macies corporis, etc. Hisce vertiginis varietatibus, quas alii morbi vulgo efficiunt, addenda est illa etiam, quae crebra post mercurii abusum, adhibiti syphilidis destruendae causa, scorbuticis quibusdam indiciis, imprimis autem doloribus membrorum acutis, corporis universi macie, ulceribus faucium signatur.

4). Perspectis sedulo hisce omnibus momentis, quae nuper enumeravimus, elucet: vertiginis, propriae sic dictae, nomine nonnisi eam salutandam esse, quae aut morbus per se habeatur, aut effectus praecipue aliorum morborum existat, stipatur modo signis eidem solitis, semperque vel in quodam concentu, vel quibusdam singillatim obviis. Atqui adest aliquando illiud quoque aliorum morborum symptoma jam acutorum jamque chronicorum, eoque in casu nunquam habetur evidentissima, satius variis ac variis symptomatibus aliis adfectionem singularem diversam indicantibus commixta, confusaque. Morbi autem qui vertiginem comitantur sunt encephalitis chronica et acuta, hydrocephalus, apoplexia, nervosis varii generis, tandem variae organorum circulationis, respirationis, et degistionis adfectiones acutae vel chronicae. Hisce autem aegritudinibus quum adjuncta sit, nunquam utique gravior hebetur, sed potius licet soepe permanens, levissimo in gradu constat, objectorumque externorum solummodo rotatione aliqua distincta.

PROGNOSIS.

1. Ejus generis vertigo, quae nonnisi alicujus morbi est signum, optime a Hypocrate (1) Galeno

1) Hippocrat. Affor. 15. Sect. VIII. Coac. N. 105. 106. 141. 144.

(2) Sydenhamio (3) Lieutaudio (4) Vogelio (5) et Heurnio (6) explicatur. Hipocrates enim sic habet. „Qui
„ capitis doloribus, et aurium tinnitibus, citra fe-
„ brem, aut tenebricosa vertigine, et vocis tardita-
„ te, manuumque stupore tentantur, in iis aut side-
„ rationem, aut morbum comitialem, aut etiam ob-
„ livionem sperare convenit (7) Similiter alio in lo-
„ co". Tenebricosa vertigine laborans et lucem aver-
„ sans, et somno ac ardore multo detentus, despera-
„ tus (8)". Vogelius vero ita dicit (9). „Vertigo idiopa-
„ thica, longe rebellior quam sympathica, tantum
„ non semper graviorem capitis adfectum, apople-
„ xiam, paralisin, soporem, convulsiones, amaurosin
„ minatur. Vertigo caduca omnium pessima est, et
„ apoplexiae simulacrum". Quod autem spectat vertiginem, quae aegritudinem seorsum habendam constituit, si morbum hunc rite ac vere devinare volumus, observanda sunt inprimis quae sequuntur: ejus gradus, durandi spatium, varia denique indoles. Atque ita vertigo levior, nunquam est periculosa, gravior instar aliorum morborum aliquando perniciei plena. Tum etiam recens vertigo parum periculi portendit, inveterata vero magnam semper adfert perniciem. Porro neque sinistrum augurium unquam faciendum in vertigine, morbo per se ipsum habendo, magis vero illud cautum, jam bonum, jamque malum subinde esse oportet, in ea morbi specie, quae est effectus aliarum corporis adfectionum acutarum vel chronicarum. Prognosis enim diversa in hac ultima vertiginis specie instituenda, non modo a vario mali gradu ac durandi spatio pendet, sed etiam ab admodum variis causis, quamquae aegritudinem hanc excitavere proficiscitur. Et profecto vertigo,

---

2) Galen. loc. affett. lip. III. 8. p. 78.
3) Sydenham. Epist ad cole. p. 243. 1.
4) Lieutaud. precises de la Médicine pratique T. I. Sec. I. p. 174.
5) Wogelius De cogn. corpor. hum. affect. p. 517.
6) Vid. Heurnium de morbi Capit. p. 150.
7) Coac. praenot. N. 161.
8) Vid. Spec. Hippocrat. Not. praesag. Morborum.
9) Vid. Wogelium sub Artic. de Vertigine p. 202.

quae fit plethora universa, vel partiali, tum quae irritatione cerebri, frigore aestuante corpore collecto, producitur, nisi inveterata, aut male tractata erit, nunquam est timenda. Quae autem producitur methastasi quadam, aut vitio gastrico, scorbuto, syphilide, plica, etc. et difficilioris curae est, et perlevi momento in alios periculosos morbos permutari solet.

2. Cujuscunque generis erit vertigo, sitne ea morbus per se, aut effectus aliarum adfectionum, discedit a corpore sponte aut perquamdam quasi criticam perturbationem, ad quam pertinent somnus, hemorhagiae, diarhoea, et sudores. Permutatur soepe in alios morbos, potissimum generis nervosi, uti epilepsiam, hypochondriasim, insaniam; indicia vero a cadaverum sectione petita, ultro probant, vertiginem posse etiam abire in hydrocephalum, apoplexiam, vel in alia vitia cerebri organica, inflammationibus hujus organi acutis, autque chronicis, excitata. Postremo, si vertigo adfert mortem; exitus hic pessimus sequitur causa soepissime extravasati cruenti vel serosi, facti in encephalo, aut demum causa cujusdam extinctionis principii vitalis per gradus inductae, quum nimirum permutatur in epilepsiam aut insaniam.

3. Ad exitum autem hunc morbi varium affabre praedicandum scire necesse est, quid prae ceteris in morbo ipso futuram salutem, quidve haud distans letum indicet. Itaque signa bona sunt: sensuum externorum omnium laesio haud permanens neque integra, debilitas corporis nulla, functionumque aliarum nulla perturbatio, morbi recentia, et levitas, aegrotique ipsius bona constitutio. Malum vero signum si morbus ferme insperate incedat, cum sensuum omnium laesione constante: si aeger continuum collabendi metum experitur, aut non raro sub ipsum morbi insultum humi prosternitur; si respiratio fit anhela et accelerata, pulsus autem velocissimus et exilis, aut evolutus sed nimium lentus. Pessimum denique si temporis etiam intervallo, quod est a morbi infestatione liberum quaedam animi perturbatio maneat, quae mox sub morbi insultum augeatur; si aegritudo invadat hominem debilitatum, aut

morbo quodam praegresso, aut ipsa aetate, ac demum in causa morbi foret potentia quaedam difficilis ad subigendum.

Cura. 1. Quocumque vertiginis genere detentus erit aeger, in universum providendum est, ne solus domum relinquat, scalas percurrat, fenestris apertis incumbat, aut prope easdem sedeat, neque demum equitet, aut curru patulo vehatur.

2. Ulterius curatione procedente cum maxime observari debent morbi gradus, ejusque diversa indoles. Itaque vertigo quae morbum per se constituit, quaeque vel physica quadam causa excitatur, vel nimia corporis sensibilitate producitur tum etiam inanitione, aut praegresso quodam morbo vario ac vario, quum soepenumero fugax sit indeque levior; tum etiam nullam ferme curam exposcit. At vero illa crebro rediens in corpore sensibili quale hypochondriacorum, hystericarum, et convalescentium est, minime quidem respuit remedia quae irritationem nervorum imminuunt, atque obstacula, liberum per ventris viscera sanguinis circuitum quodammodo tollunt. Prosunt ideoque perbelle in hac aegritudinis specie, Clysteres Kaempfiani, leviora carminativa, ac demum lenia evacuantia simul cum excitantibus conjuncta. Vertigo vero inanitione effecta, non repudiat utique auxilia corpus nutrientia et roborantia; quibus pertinent praeter cibos carneos, cioccolata, sago, salep, Balnea etiam aromatica et martialia, infusum chinae frigidum, extracta amara, variaqae demum praeparata ferri. Neque in eadem vertigine ex inanitione profecta, haemorhagiae cujusdam profusae causa, posthabenda sunt remedia, adstringentia ut alumen, ferrum, catechu, tinctura kino, acida mineralia, et nonnunquam opiata. In vertigine vero post nimiam diarrhoeam exorta, quadrant cum maxime clysteres ex amylo, salep, lichen islandicus, opium, ac praecipue arnica ad semi drachmam vel integram illam in infuso praescripta. In illa autem quam onania, vel veneris abusus producit, comendata balnea calida, et ferrum, rarissime prosunt, quum hic potissimum cura moralis valeat, praesertim Stollio monente his verbis. „ Jactura ni-
„ mia seminis gravissimos et soepe insanabiles ver-

„ tigines facit, tunc praecipue, ubi semen turpissi-
„ mo vitio, quod vinculum illud, quo sexus sexui
„ jungitur, divellit et licitae veneris taedium inge-
„ nerat, manu-stupratione scilicet effunditur. In
„ notasse modo sufficiat, morbos ex hac impura sca-
„ turigine ortos, aut nunquam aut vix curari, tum
„ quod ipsa medicatio ob effectum systema nerveum
„ difficiliis sit, cum etiam, quod qui semel pravo
„ huic operi insveverint, rarissime eidem in perpe-
„ tuum valedicant, et occasionem iterandae causae
„ morbificae sibi semper praesentem habeant. Illud
„ quoque hic adhuc addam, curam nunquam a sola
„ pharmacia inchoandam esse; et enim tanta est ner-
„ vorum per iteratos actos irritabilitas, mobilitas
„ συμπαθησία tanta, idearum allicientium vivacitas, tan-
„ ta, tam prompta actionum hic pertinentium suc-
„ cessio, ut medicamentorum roborantium, nervi-
„ norumque usus multum impar sit, quin irritabili-
„ tatem ipsam, quae corrigenda esset, vi sua nervina
„ irritent magis. Hunc nisi totus animus, cogitandi
„ ratio, tota philosophia immutetur, ut aliis ideis, ali-
„ is moralitatis principiis imbuatur et omnino pene-
„ tretur, nisi quodam quasi enthusiasmo obreptus a-
„ nimus in contraria tendat, in curandis a manustu-
„ pratione morbis actum ages. Patet quam necessa-
„ rium sit, tum in multis aliis morbis, tum maxi-
„ me in hoc, ut medicus, dum corpori medicinam
„ facit, animum simul aegrotantis, philosophando
„ sanet. Cum hic philosophiam medico necessariam
„ assero, non illam superficiariam, levidensem, et
„ res quam maxime serias ridere, non discutere na-
„ tam intelligo, sed quae a levitate, et ab ignoran-
„ ti superstitione ex aequo remota ad rerum examen
„ accingitur".

3. Si demum vertiginis quae aliorum morborum est effectus, curandae modum rationemque requiras, primo quidem notandum diversam esse curam, pro causarum morbos excitantium varietate. Idcirco in vertigine post violentiam externam exorta, ea auxilia usurpanda quae valent in aliis quidem morbis nervosis, eadem hac causa excitatis, praecipue vero evacuatio sanguinis universa, et topica fomentationes capitis frigidae, evacuantia deorsum, atque remedia

systema lymphaticum peculiari ratione excitantia, uti remedia nitrosa, calomel, hincinde junctus cum digitali, arnica, similiaque. In vertigine quam perpetuae congestiones sanguinis versus caput efficiunt, jam plethora universa, jam ea locali oriundae, crebrius graviori quam leviori, methodus antiflogistica necessaria habetur, ad quam utique spectat venaesectio nunc e brachio, nunc e pede facta, ac necessitate urgente repetita, evacuationes sanguinis locales jam prope cranium jam deinde in remotiori quodam loco, praecipue si aut hemorhoides, aut cathamenia suppressa mali occasionem dedere: spectant deinde salia neutra parca in quantitate hausta, ipsa acida mineralia, ac postremo diaeta tenuis. Vertigo autem cujus in causa est frigus aestuante corpore collectum, praeter methodum antiflogisticam exposcit ad finem morbi remedia sudorifera atque revellentia externa. In hac etiam morbi specie Marcus Herz quam maxime comendat Gummi Gvajacum sub sequenti forma *Rp.* Gummi Gvajaci drachmas duas, solve, in spiritus mindereri unciis quinque, adde, Cremoris tartari depurati drachmas duas, Aquae florum sambuci, oxymellis simplici ana uncias tres. Misce. Detur. Signetur. Capiat omni bihorio vasculum semis. Quum excitat arthritis retropressa, illa vertigo, exposcit praeter sanguinis evacuationem, remedia leniter purgantia, diaphoretica et diuretica, omnia demum illa auxilia, quae revocant arthritidem ad locum ei solitum. Pari ratione auxilia revellentia, maxime quidem voesicatoria, sinapismi, ulcera artificialia, balnea demum corporis universa soepe jungenda cum usu interno sulphuris, variarumque decoctorum quae dicuntur mundificantia, congrua sunt omnino auxilia, vel in vertigine quam excitant aut psora retropulsa aut herpes retrocedens, aut deinde ulcera quaedam vetusta et habitualia praepostere sanata. Producta autem vertigo causa quadam gastrica ut: sordibus ventriculi et intestinorum, viscerum abdominalium aliqua obstructione, vermibus intestinalibus, et s. p. raro aut nunquam sub ipso morbi insultu, emetici, aut evacuantis deorsum fortioris usum admittit. Tunc enim auxilium in clysteribus praesertim ex aceto, in potu acido, fomentatione

tepida abdominis, et in quiete corporis quaerendum. Tempore libero cura radicalis secundum leges generales, ita absolvitur, ut sordium, flatuum, vermium, et obstructionum viscerum summa ratio habeatur. Nunquam etiam hic clysterum visceralium obliviscendum. Suadet quoque Hoffman in hac specie baccas albos piperi nigri, jejuno ventriculo ingestas, at vero haec medicatio potius proficua est, in vertigine ex ventriculi langvore orta in qua demum magni momenti a Wedelio et Sauvagesio habetur, radix doronici pardelianches ad scrupulum unum. In genere vero, quamcunque vertiginem ex vitio gastrico ortam curabis, maxime ad reginem diaeteticum respicere necesse est, commedere mane et mature, et ad somni horas decenter svadet ipse Plater. Postremo quod attinet vertiginem plicosorum, scorbuticorum, syphiliticorum, vel qui demum abusi sunt mercurio, iis pro re nata, vel antiscorbutica, vel antiplicosa, vel antisiphilitica, vel demum, sulphur ipse secundum artis regulas opponi debent.

4). Quam exposcimus novissime curam rationalem si effectus nullus, sequatur, ac malum ultro pergat, quid quod vi sua et vehementia augeatur, minime utique absurdum erit, ad remedia quaedam empirica confugere. Horum quidem a nervinis praecipue petitorum innumerabilis est ferme census, et omnia inter illa prima ac praecipua habenda, Herzio Fritzio, et Marcardio semina synapis, cubeba, valeriana, ac deinde aquae pyrmontanae. Verum, quidem vel nunc exposita remedia tamquam specifica quaedam minime sumenda, quippe quae valeant recte Herzio dicente, modo sub data rerum positione. Sic prodest synapis, magis hominibus aetatis provectae, phlegmaticis, atque ventriculo debiliori instructis. quam hominibus aetatis mediae et plethoricis. Piper cubeba efficax est remedium potius in hominibus sensibilibus et intestinorum debilium pronorumque ad flatulentiam, quam sub contraria rerum positione. Idem de valeriana dicendum nec non de aquis pyrmontanis, quorum auxiliorum prius hystericarum vertiginem perbelle sedat. posterius autem eam modo vertiginem minuit, cujus in causa inatitio habetur.

OBSERVATIO.

A. W. Triginta annorum puella, conditione coqua, temperamenti nervoso sanguinei, statura corporporis mediocri, capillis oculisque nigris, si excipias nonnullos morbos, quibus toto vitae suae spatio subinde adficiebatur, perpetuo egregia valetudine ac sanitate gaudebat. Ast vero currente anno, januarii nona die, animi pathematibus invasa, dum calefacto corpore refrixit, statim est morbo correpta, in quo per nonnullas nichtemeras ulla sine cura manens, ejusdem mensis decima quinta die institutum medicum Vilnense intravit, ibique examinata, professa est: ab initio horripillationibus, alternatim cum calore, nausea, vomituritione, mox vero sanguinis superiora versus congestionibus, faciei oculorumque rubore, aurium susurru, extremitatumque superiorum, praecipue vero sinistrae, torpore, magnaque virium debilitate, morbum incepisse, quorum tamen omnium comes erat, perceptio rerum erronea, quasi omnia objecta alienis coloribus refulgerent, continuaque agitatione in gyrum moverentur, cum exeuntibus scintillis ante oculos obnubilatione illorum, insomniis, collabendi timore, deinceps absentia animi, ipsoque lapsu, quibus paroxismis quotidie duodecim vicibus, constanter per sex minutas ferme cruciabatur. Hisce igitur omnibus symptomatibus praesentibus, dum nullae aliae complicationes adfuere, morbus jure meritoque pro vertigine inflammatoria declaratus fuit, et mox ad imminuendam sanguinis ad caput congestionem, praecedente pediluvio acri, missio e pede sinistro cruoris ad uncias decem, intus vero ob febrem tarditatemque alvi, nitras cum supertartrate potasse ordinata fuerunt.

Sequenti die nempe decima sexta januarii omnia symptomata in melius mutata sunt, etiamsi parvo in gradu, noctu duobus solummodo paroxismis aegra torquebatur, verum tamen collecto jam animo, corporis calor auctus est, pulsus ad 78 elevatior, perstante igitur eadem indicatione, iterum eadem remedia adhibita sunt, tum quoque venae sectio et quidem ad untias septem e pede, atque ob spurcitiem linquae, amarorem oris, alvi tarditatem, Clysma et decoctum

Altheae cum sale Glauberi. Die decima septima januarii paroxismi jam nulli erant, vertigo nonnisi capite elevato excitabatur, aliaque symptomata multum imminuta, alvus necdum resoluta, quare Infusum e radice Rhei cum sale amoniaco succoque liquiritiae, aegrotanti commendata sunt.

Die decima octava januarii. Morbus paulo exasperatus est, aegra accusabat novum dolorem ad frontem obortum, pulsus fuit contractus, lentior sano; alvus mota. Respectu igitur doloris ad frontem, contractionis pulsuum ordinata erant: pediluvia acria, duae hirudines ad ostia narium, et octo cucurbitulae ad nucham aplicari jussae. Remedium idem.

Die decima nona januarii. Frontis dolor sedatus erat, ast vertigine aucta bomboque ad aurem sinistram aegra molestabatur, alia symptomata defuere. Igitur agendo in vasa sanguifera, organa uropoetica, tubumque intestinalem infusum e stipitibus dulcamaris cum terra foliata tartari syrupoque ononidis spinosae praescriptum est.

Vigesima et vigesima prima januarii omnia symptomata disparuere aegraque omnino meliori in statu versabatur; vigesima vero secunda dum jam omnes functiones rite absolvebantur, aegra fauste persanata e clinico dimissa est.

THESES.

I.

Varia indoles Vertiginis, variam curam exigit.

II.

Graviditatis unum signum, nullum signum.

III.

Lactationem infantis non minus matri, quam infanti saluti esse firme probatum est.

IV.

Explicationem phenomenarum criticarum ex sola irritatione consensuali, erroneam opinamur.

V.

Ad methodum revulsivam, variae etiam methodus medendi referri possunt.

VI.

Laesiones in cadavere neonati, ad probandum infanticidinm raro sufficiunt.

VII.

Punctio ventri in Colica flatulenta equorum nunquum est admittenda.

VIII.

Glosanthrax pro morbo locali haud habendus

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICO-PRACTICA
DE
LAPAROTOMIA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS
AD
CONSEQUENDA DOCTORIS MEDICINAE JURA
ET HONORES
IN
CAESAREA LITTERARUM UNIVERSI-
TATE VILNENSI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
NICOLAUS ŁAWICKI
VOLHYNIENSIS
MEDICINAE MAGISTER
ANNO MDCCCXXVIII MENSE JUNIO.

VILNAE
TYPIS A. MARCINOWSKI.

Wolno drukować. Wilno 17 czerwca 1828 r.

A. Powstański.

Prez. Kom. Cen. Wileń. Radz. Kol. i Kawaler.

(M.P.)

LECTISSIMIS VIRIS

JOSEPHO ET MICHAËLI

ŁAWICCIIS

FRATRIBUS CARISSIMIS

AMICIS OPTIMIS

HOSCE PRIMOS

IN ARTE SALUTARI

QUAM IIS AUCTORIBUS ADDISCENDAM SUSCEPIT

LABORES

FRATERNI AMORIS GRATIQUE ANIMI SIGNIFICANDI
CAUSA

SACROS ESSE VULT

AUCTOR.

DEFINITIO.

Laparotomia 1) (a graeco *λαπάρα abdomen* et *τομὴ sectio*) dicitur operatio chirurgica, cujus ope abdominis integumenta et musculos usque ad ejus cavitatem eo consilio transcindimus, ut aut organa, quae situm suum mutavere, in statum pristinum restitui, aut varia corpora extranea, vel talia fortuito facta, viscerum in abdominis cavo contentorum functionibus et integritati perniciosa, arte nullam prorsus aliam iis extrahendis idoneam rationem suppeditante, amoveri possint.

HISTORIA ET LITTERATURA.

Si morem in concinnandis dissertationibus chirurgicis vulgo receptum sequi vellemus, de *Laparotomiae* origine et progressu agendi certe hic locus esset. Sed, quoniam operationem hanc vario scopo susceptam fuisse constat, satius esse putamus omnes notitias historicas ad scriptionis nostrae partem, indicationibus enumerandis dicatam, relegare, ubi operationes hucusque absolutas ordine chronologico recensendas curabimus.

---

1) In accipienda hac denominatione recentiores secuti sumus auctores, *gastrotomiae* illam (a *γαστὴρ ventriculus* vel *abdomen* et *τομὴ sectio*) tanquam ambiguam et ad designandam ventriculi sectionem magis adcommodatam merito reprobantes.

Hoc loco autem monere sufficit, medicos ad Laparotomiam in vivis instituendam tum primum recurrisse videri, quum partus per vias naturales ex utero neutiquam excludi posset et praesentissimum vitae periculum proxime instaret; deinde autem vario tempore multis aliis in casibus, eandem tentare ausos. Quoniam vero quavis aetate paucissimi exstitere, qui, antecessorum exemplum secuti, operationem, de qua agimus, suscipere non vererentur; hinc factum est, ut, de hac artis medicae parte, admodum pauca litteris consignata nunc reperiantur. Commemorari tamen praeceteris merentur Barbettius 2), Cheseldenius 3), Hogg 4), Hevinus 5), Langstaff 6), Richterus 7), Birkholz 8), Fiedler 9), Besser 10), Zang 11), Sabatier 12), Schreger 13), Sam. Cooper 14), Brechet et Finot 15), Gardien 16), Murat 17), Lizars 18).

---

2) Oper. Chirurgico Anatom. 1672 de abd. partib. intern. Lib. X. Cap. II.

3) Anatomy 1741. v. Haller Bibliotheca Chirurg. II. p. 23.

4) Dissert. Observat. medico-chirurg. Jen. 1762 v. Sandifort Thesaurus Vol. III. № 3.

5) Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie T. IV. p. 201.

6) Edinb. Med. surg. Journ. № XI.

7) Chirurgische Bibliothek. 1. B. 1. St. p. 52.

8) Dissert. de gastrotomia Lips. 1805.

9) Dissert. de laparotomia noviss. ejus exempl. Viteb. 1811.

10) De gastrot. Lips. 1815.

11) Darstellung blutiger operationen Dritter Theil. 1818 s. 210.

12) Médecine opératoire nouvelle edit. 1824.

13) Grundriss der chirurgischen operationen Erster Theil 1825 p. 453.

14) Dictionnaire de Chirurgie pratique. Paris 1826.

15) Dictionnaire des sciences méd. T. XVII, p. 449.

16) Ibid p. 455.

17) Ibid T. XLIX, p. 254. et Dict. de Méd. T. X. p. 171.

18) Observations sur l'extirpation des ovaires. Vid. Archives générales d. méd. T. VIII. Juillet 1825 p. 437.

INDICATIONES.

1. *Graviditas extra-uterina.* Frequentissimam sane laparatomiae peragendae occasionem, graviditas extra-uterina praebet. Sunt tamen Viri docti, de re medica praeclare meriti, qui mulieres, juvante natura, facilius, quàm si ad artis praesidium recurreris, vitae periculum effugere putent. In eorum utique numerum referuntur triumviri celeberrimi LEVRETUS, SABATIERUS et BERTRANDUS: hi enim, sacco, quo infans continetur, inciso, haemorrhagiam semper lethalem subsequi, firmiter credunt; neque ei cohibendae, propterea quod saccus ille sese contrahendi potestate careat, quidquam esse idoneum; et, si forte nullum ex haemorrhagia periculum oriatur, jam vel ob id ipsum, quod placenta pluribus interdum partibus vicinis adhaereat, operationem suscipi non debere. Quamobrem, mulieres in tanto rerum discrimine versantes ex horum auctorum sententia, ipsae sibi relinquendae essent, et, quid tulerit tempus ac natura, placide expectandum.

Negari quidem nequit, mulieres, quae foetum extra uterum gestant, ipsas sibi derelictas, haud semper morte deleri: solius enim naturae viribus fit interdum, ut foetus, aut jam emortuus et putrefactus, musculis abdominis ac integumentis communibus vel intestinis abscessuum more perforatis, frustulatim ad exteriora exeat; aut in lithopoedion mutatus, plures menses vel etiam annos in corpore maneat, nec ullum vitae periculum neque magna incommoda matri procreaturus. At in priori casu, ingentes ac diuturni cruciatus et dolores, serius ocyus, vitae finem imponere solent; alter vero casus, felicior utique, ad rarissima specimina pertinet. Frequentissimus autem exspectationis hujus exitus is habetur, ut sac-

co foetum continente, rupto ortâque inde copiosâ haemorrhagiâ internâ, et mater et infans, tam subita morte e medio tollantur, ut ullam ad artis auxilia recurrendi copiam habere nequeas 19). Si itaque totam curam tempori et solius naturae viribus committas, matrem cum infante simul morti certissimae devoveri opus esse, quis non videt? Quem vero calamitosum vanae exspectationis exitum, laparatomiâ justo tempore administratâ, prohiberi posse arbitramur: probabile enim nobis videtur, haud raro posse fieri, ut, operationis beneficio, et infantem ab interitu vindicare, et, haemorrhagiâ injectionibus frigidis atque adstringentibus cohibitâ sanguineque, qui in abdomen effusus fuerit, extus educto, majorem matri ipsi salutis spem adferre queamus. Hinc igitur, quanta sit foetus, extra uterum degentis, sectione artificiali eximendi necessitas, patet manifesto.

Neque eo, quod placenta partibus vicinis adhaerere soleat, ab operatione suscipienda deterreri nos patiamur; potest enim placenta intus relinqui donec sua sponte solvatur. Licet autem, putrescente massâ hac spongiosâ malum mox operationem subsequens aggravari haud diffitemur: verum tamen, si, a ferendo artis chirurgicae auxilio abstinendum esse rati, totum negotium soli naturae committamus, materiei e placenta et infante putrefactis ortae exitu intercepto, longe majora adhuc pericula imminere, nemo certe est, qui inficias ire velit 20).

---

19) *Vid.* Sabatier op. cit T. IV, p. 369.

20) La crainte de l'hémorrhagie (*verba sunt* Baudelocquii) après la délivrance, ou celle de déchirer les parties aux quelles le placenta est attaché, telles, p. ex. que l'épiploon ou le mésentère, en faisant effort pour l'en séparer, n'est pas, selon nous, une raison suffisante pour faire rejeter

Quod autem felices operationis exitus sat rari habentur (e vicenis enim mulieribus vix quatuor evadunt 21)), quodque natura interdum uno alterove ex memoratis modo, demandatum sibi negotium ipsa per se absolvit; sequitur hinc, quandam artis hac de re legem statui oportere, haec autem erit: *quamdiu gravidarum vitae nullum imminet periculum, operationem quoad ejus fieri potuerit, esse differendam.* In graviditate igitur *tubaria* et *ovaria*, laparotomiam suscipi debere, instantis horum organorum rupturae signis jam manifestis: in graviditate vero abdominali, nonnisi tum ad eam esse recurrendum, ubi foetu maturitatem jam assecuto, ipsa natura eniti apparuerit, ut ab ingestabili onere liberetur; aut, ubi foetus in claustris maternis emortuus, tanquam corpus extraneum, periculosorum symptomatum causa facta fuerit.

Altera tamen ex parte, laparotomiam, si matris rationem habeas, primis graviditatis mensibus, multo securius omnino peragi posse, nemo certe inficiabitur. Monente enim ZANGIO, quo provectior sit graviditas, eo facilius inflammantur organa, placenta cum aliis visceribus firmius nectitur, majus denique in abdomine foramen faciendum est. Quamobrem laudatus auctor, magis de matris, quam de infantis vita sollicitus, tempus inter secundum et quintum mensem operationi suscipiendae aptissimum esse, haud immerito censet. Sed maximopere dolendum est, gra-

---

l'opération. Quel mal y aurait-il à laisser le placenta jusqu'à ce qu'il se soit detaché de lui-même et qu'il vienne se présenter à la plaie, dans laquelle on aura eu soin de retenir le cordon? la putréfaction de cette masse spongieuse serait-elle plus à craindre que si l'on n'avait pas fait l'opération? *Vid.* Dictionnaire de Médecine T. X. p. 445.

21) *Vid.* ZANGII op. cit.

viditatis extra-uterinae signa adhucdum valde obscura et incerta esse.

Primum laparotomiae in graviditate extra-uterina susceptae specimen sub seculi decimi sexti finem MATH. CORNAX 22) praebuit. Labente seculo decimo septimo ABRAH. CYPRYANUS 23) in lucem edidit historiam de foetu foeminino mortuo, e dextra tuba Fallopiana, post 21 menses a prima impregnatione, exciso, ubi simul notatu dignum, mulierem istam, altero anno puellam, altero gemellos peperisse. Seculi proxime superioris initio operationem hanc GOVEY 24) instituisse perhibetur, qui tumorem aliquem adfuisse suspicatus, aperuit abdomen, sed invenit extraxitque infantem maturum et vivum. At nostro aevo frequentiora exstant hujus operationis exempla. Sic praeprimis notatu dignus est casus JOSEPHI 25), ubi foetus extra uterum conceptus, subsecuta vesicae urinariae exulceratione, ad ejus cavum irruit, gravissimaque symptomata procreavit: quibus cunctis permotus JOSEPHI, instituta supra pubem tegumentorum incisione, infantem extrahendum curaverat; sed mulier infelicissima, multas jam antea calamitates perpessa multumque enervata, operationem perferre haud potuit. WEINHARDT 26), peractâ laparotomiâ foetum extraxit, placentam vero fortiter adhaerentem spontaneae solutioni reliquit. BREVER 27) Chirurgus Lip-

---

22) *Vid.* DONATI de med. hist. mirab. Venet. 1588 lib. c. 20.

23) *Vid.* Abr. CYPRIANI epistolam ad Thom. Milington in 8vo Lugd. Bat. 1700.

24) La veritable chirurgie. Rouen 1716. *Vid* BERTRANDIE oper. p. 64.

25) Ueber die Schwangerschaft auserhalb der Gebärmutter. Rostock 1803.

26) Beschr. einer merkwürd. Oper. durch den Kaiserschn. (Laparotomia.) Bauzen 1802.

27) Dict. d. sc. med. T. XVII, p. 458.

siensis refert se conservasse duo simul individua, suscepta sub illud tempus, quo parturitio quaedam instare videretur, operatione extractoque e tuba Fallopiana post novem menses infante. MÜLLERO 28) quoque contigit infantem vivum ac vegetum ex ovario exsolvere. Porro SCHREGERUS 29) eam operationem suscepit propter infantem per octo annos in abdomine extra uterum hospitantem; FEUILLÉE 30) vero et MOUNSEY 31) idem fecisse traduntur propter infantem biennarium. Ante aliquod autem annos, exercuerunt laparotomiam HEIMIUS 32) et RUTH 33).

2. *Ruptura uteri.* Laparotomia necessario est instituenda, accidente uteri ruptura, et quidem recte utique opinante MURATO 34) sub hoc rerum statu: 1mo. Si hoc viscus gestationis tempore rumpatur. 2do. Si infans, instante parturitione, in ventris spatium ruat, uterus vero fortiter contrahatur. 3tio. Si infantis caput in ventrem transeat, collo ejus in rima uteri lacerati haerente. 4to. Cum tam iniqua sit pelvis conformatio, ut infantis in abdomen illapsi versionem contraindicare videatur. 5to. Porro, si infans simul cum secundinis in matris viscera ingressus, nullo pacto inde extrahi possit et puri sese colligendi locum praebeat. 6to. Si denique, subsecutâ uteri rupturâ, sanguis in abdominis cavum extravasatus, absorberi nequeat et periculosorum symptomatum causa fiat.

---

28) O chorobach jajeczników przez *Dra* RYMKIEWICZA *in* Dziennik Med. Chir. i Farm. Wileński N. II, p. 200.

29) Horns Archiv. Berl. 1810 1. B. 1 Heft. p. 281.

30) Journal des obs. 3. p 491.

31) Phil. Trans. V, 45 N. 486. Bullet. de la Fac. med. d. Paris 1812.

32) RUST's Magazin 1817. 3 B. I. Heft s. Iff.

33) Ibid XIV. 2 u Gr. u. W, J. VI. 3. 1824.

34) l. c. p. 257.

In uteri tamen ruptura, pariter ac in graviditate extrauterina, multi laparotomiam damnant. Boërus 35) hac de re ita loquitur: „Rectissima ut videtur mihi, „Anglorum objectio est, certas mulieres, quae in „tali fato sibimet ipsis relinquebantur, una cum exani„mi in ventre foetu per longum tempus exeguisse vitam; „ex adverso ne unicum haberi parientis firmum exem„plar, quae delapso in abdomen partu et facta mox „caesarea vulneratione, superstes aliquos modo di„es fuerit." Sed argumenta, supra, ubi de graviditate extra-uterina egimus, a nobis allata, multaque laparotomiae post rupturam uteri feliciter peractae specimina, statim recensenda, hanc Boëri sententiam infirmant, atque pro operationis, in casu rupturae uteri, necessitate et utilitate fortiter pugnant. Neque audiendi sunt, qui in suscipienda laparotomia medicum cunctari volunt; imo properandum esse putamus, pauca enim momenta sortem dirimunt; quod non solum de infante, sed etiam de ipsa matre intelligi debet, quippe quae diutius in tali statu derelicta multosque dolores perpessa, exantlandae operationi minus idonea fieri potest. Quo citius igitur operationem susceperis, eo major et matrem et infantem servandi spes aderit.

Laparotomiam a Veslingeno secundum Murat 36) in casu rupturae uteri commendatam, primum Thibaud Dubois 37) 1760 anno tentavit, idque faustissimo eventu; mulier enim, id quod certe mirum videri debet, tertia post operationem die convaluisse dicitur. Post Thibaudium, Lambron 38) duo hujus operationis in una eademque foemina institutae

35) Naturalis Medic. obstetric. Viennae 1812 p. 537.
36) l. c. p. 259.
37) Ibid. p. 255. Cfr. Journ. d. méd. Mai 1768 p. 448.
38) Ibid.

specimina, anno 1775, cum Academia Chirurgica Parisina communicavit. Primam laparotomiam absolvit vir doctissimus interjectis duodeviginti horis post rupturam uteri: infans quidem mortuus inventus est; sed mater, intra sex hebdomadum spatium, pristinam sanitatem recuperavit. Post aliquot annos, denuo gravida facta eundemque passa est casum. LAMBRON igitur, qui apud eam tunc versabatur, iterum ad operationem nostram recurrere haud dubitavit. Extractus infans per dimidium horae, vitae signa ostendebat; mater autem vel hac vice convaluit, atque posteriori tempore tertium infantem concepit, quaem per naturales jam vias incolumem peperit. Memorabile exemplum adfert MURAT 39), ubi nempe operationis hujus beneficio a quodam chirurgo post uteri rupturam cito peractae, mater una cum infante e mortis imminentis faucibus se eripuit. Eodem scopo laparotomia suscepta adhuc fuit a DUMAY 40) anno 1774, et aliquot abhinc annos a CECCONI 41): in priori casu vulneris consolidatio decima tertia die, in altero vero die vigesima, cum aegrotantis integra sanatione, subsecuta est.

3. *Avulsio et retroversio uteri.* ZANGIUS 42) uteri, graviditatis tempore, a sua vagina avulsionem, ad indicationes laparotomiae redigit. CALISSENIUS 43) autem in retroversione quoque uteri, consueta methodo haud devincienda, abdomen in linea alba scindi jubet. Sed in utroque hoc casu nulla adhucdum tentamina exstant.

---

39) Ibid. p. 249. Cfr. Memoires de la Société royale de Méd.

40) *In* Dict. d. sc. med. l. c. p. 256.

41) *Vid* Casum a LUD. FRANCKIO descriptum *in* Journ. universel. d. sciences méd. T. XI. p. 113.

42) In op. cit.

43) Chirurgiae P. II. p. 550 et FIEDLER l. c.

4. *Extravasatum.* Ad eliminanda quoque corpora peregrina, qualia sunt inprimis sanguis, post vulnera penetrantia, in abdominis cavum extravasatus et pus ibi collectum, si eorum praesentia tumultuosis symptomatibus originem praebeat lethumque portendat, laparotomiam vel maxime esse necessariam, nemo jam est qui dubitet.

Vacher de Besançon 44) anno 1733 hac operatione sanitati restituit militem, qui accepto ad epigastrium vulnere, multis ab initio incommodis subjectus fuit; iis tamen sensim sensimque evanescentibus, die duodecima fere jam sanus sibi videbatur. Verum, die decima quinta denuo comparuere symptomata, quae de extravasati praesentia suspicionem movebant: tumor in hypochondrio dextro investigatus, hanc suspicionem confirmavit. Facta apertura, sanguinis nigri coagulati, ingratum odorem spirantis duae circiter librae effluxere, et aeger unius mensis spatio perfectam valetudinem recuperavit. Aliter cessit operatio a Petito filio 45) instituta, siquidem aeger obiit. Duo haec tentamina, primigena fuisse, omnibus diu persuasum erat. Inter Cabrolii 46) tamen observationes exstat jam laparotomiae exemplum in milite quodam Italico peractae. Militis hujus hipochondrio dextro vulnus acutissimo ferro, ad substantiam usque hepatis penetrante, inflictum, gravem haemorrhagiam internam induxit: sanguis in abdominis cavo collectus corrumpi, intolerabilemque odorem spargere coepit. Hanc itaque ob causam Cabrolius aperuit abdomen incisione sat ampla, sanguinemque jam coagulatum cochlearis ope eduxit. Aeger brevi convaluit.

---

44) *Vid* Sabatieri op. cit. T. II. p. 151.

45) Ibid.

46) *Α'λφαβῆτον ἀνατομικὸν* Genevae 1604.

5. *Volvulus et intussusceptio.* Passio iliaca a volvulo vel intussusceptione intestinorum proficiscens, eandem operationem vehementer exposcit. Jam antiqui medici ejus necessitatem ad tollendum hunc morbum agnoverunt. CAELII AURELIANI enim scriptis 47), jam a PRAXAGORA hanc chirurgiam institutam 48), aut saltem propositam fuisse 49), apparet. BARBETTIUS 50), tamen hujusmodi curationis auctor vulgo creditur, quae posteriori tempore magnum numerum fautorum reperit, inter quos memorare sufficiat, magni nominis viros FRID. HOFFMANUM 51) et FELIXUM PLATERUM 52). Praevaluit tamen opinio HEVINII 53), qui propterea, quod volvuli et intussusceptionis signa valde fluxa et ambigua sunt, quodque arduum est definire, quae pars intestini et in quo abdominis loco invaginata vel convoluta sit, hanc operationem rejiciendam esse declaravit, multisque observationibus demonstrare conatus est, naturae vires tali in casu multo plus prodesse quam ullum conamen humanum. Alii quoque eandem amplexi sunt opinionem 54). Ad quam refellendam nil certe habemus, nisi quod difficultates illae in cognoscendo malo et definienda ejus sede, non ubique occurrunt 55). Ex

---

47) Acutorum morborum Lib. III.

48) Histoire de la méd. de le Clerc première partie Liv. IV. Chap. VI.

49) Leop. Caldani in Memorie di Matematica e di Fisica della Societa Italiana T. XVI. P. II. Verona 1815.

50) l. c. ubi dicit: „An non praestaret, facta dissectione musculorum et peritonaei; digitis susceptum intestinum extrahere, quam morti aegrotantem committere?

51) Dissert. méd. de pass. iliac. § 27.

52) Prax. T. II. Cap. XIII. et Bonet Polyalth lib. IV. Cap. XXVI. num. 58.

53) l. c.

54) Langstaff l. c. et Richter l. c.

55) Un *obstacle* au cours des matières fécales peut seul déterminer la réunion des symptômes suivans que nous avons observés:

ipsius etiam Hevinii observationibus colligere licet, dari casus ubi expertus et sagax medicus, considerato diligenter symptomatum exordio et progressu, eorum causam discernere possit. Malo autem cognito, *praestabit* sane, *facta dissectione musculorum et peritonaei,*

„Douleur abdominale, rapidement survenue chez un individu en bonne santé; très-aiguë, continue, circonscrite dans l'espace de *deux pouces de diamètre* vers la fosse iliaque droite; accompagnée de vomissemens qui se succédaient avec une rapidité effrayante, *sans garderobes*, malgré des lavemens répétés. Rejet de toutes les boissons même prises par cuillerées, *sans douleur à l'épigastre* qui supporte facilement une forte pression; en même temps, *forme et dimensions naturelles* de l'abdomen qui n' est ni tendu, ni balloné et non douloureux, hors le point affecté; pouls petit, dur, fréquent et enfoncé; vomissemens *bilieux* et excrétion *libre de l'urine;* absence de hernie ou d'un pincement de l'intestin à l'ombilic, à la ligne blanche, aux anneaux suspubiens, et aux canaux cruraux; persistence des accidens avec rémission, sous l'influence du traitement antiphlogistique; *douleur locale* très - circonscrite, calmée constamment par les émissions sanguines, renaissant quelques heures après (*le reste du ventre réstant souple*), montrant une ténacité tout-à-fait disproportionnée à sa petite étendue, et rendue inexplicable par l'activité du traitement."

En effet, dans une *péritonite* le ventre n'eut point conservé sa forme habituelle; une aussi petite surface du péritoine enflammé, n'aurait pas occasionné des douleurs aussi atroces et des vomissemens aussi répétés: on aurait pu déterminer des gardes-robes par les lavemens. Dans une *gastro-éentrite* sans obstacle au cours des matières, la douleur de l'intestin n'est jamais aussi aiguë; des vomissemens aussi répétés n'ont pas lieu sans douleur a l'épigastre, sur tout à la pression. Un *calcul* engagé dans l'uretère, aurait suspendu ou diminué l'excrétion de l'urine, ce qui n'avait pas lieu Le passage d'un *calcule biliaire* dans le canal cholédoque ne pouvait coïncider avec des vomissemens bilieux aussi abondans. Une *perforation*, une *rupture* de l'estomac, de l'intestin ou de la vessie, aurait été précédées d'une inflammation de ces organes, ou déterminées par une cause physique appréciable: elles auraient été promptement suivies d'une péritonite dont la marche eut été plus

digitis susceptum intestinum extrahere, quam, naturae saepe fallaci, totum negotium relinquendo, *morti aegrotantem committere.* Neque tunc deliberare decet, an satis tutum sit praesidium, quod unicum est; *melius enim anceps experiri remedium quam nullum.*

Nonnulli praeterea, laparotomiae in volvulo et intussusceptione curandis inutilitatem probaturi, objiciebant etiam, unicum hujus operationis, a Nuckio 56) quondam peractae, faustum exemplar, haud sufficere, ut ea adoptari mereatur. Hoc tamen exprobrationis genus, quod olim alicujus ponderis esse videri potuit, nunc per se cadit, quum plura jam exitus faustissimi exstant documenta. Sic ante aliquot abhinc annos, Ohleum 57) hanc operationem suscepisse feliciterque absolvisse; novissime autem i. e. anno 1825, Fuchsium ejus chirurgiae ope intestinum ad duos pedes in alterum insinuatum, ab invaginatione liberasse, legimus.

6. *Hydrops saccatus abdominis.* Porro in hydrope saccato laparotomiam, tanquam efficacissimum auxilium, eo consilio suscipimus, ut, aperto magna incisione sacco hydropico, humor ille gelatinosus, therebintinae aut lactis coaguli speciem saepissime referens, in eo contentus, quem simplici punctura neutiquam evocare possis, ex toto removeatur. Operationis autem beneficio fit, ut saccus, in modum uteri vix ab infante liberati, propria elasticitatis vi

---

rapide. Les inflammations du foie, de la rate et du pancréas n'ont jamais produit des symptômes analogues à ceux que nous observions. Il me semble donc que, s'il se présentait une semblable réunion de circonstances, on serait autorisé à penser, lors même qu'il n'y aurait pas eu de vomissemens de matières fécales, qu'il existe une obstacle au cours de ces matières. *Rayer in Archives générales d. médecine T. V. Mai* 1824 p. 84.

56) Velse de mutuo intest. ingr. 1742 in Haller Disput. anat. T. VIII. p. 126.

57) *Vid. Schregeri* op. cit.

contrahatur, parietes ejus a visceribus undique pressae ad se invicem appropinquent, atque injectionibus, ad mentem auctoris instituendis, stimulatae, vel coëant, vel solutae cum pure frustulatim extus emittantur. Hoc vel illo modo, radicalem hydropis curam obtineri posse plura nunc exempla habentur.

Hanc tractandi hydropis saccati methodum Le Dranius 58) primus in praxi privata adhibuit, duoque exempla, alterum vulneris peractâ operatione in perpetuam fistulam commutati, alterum vero vulneris perfecte sanati, anno 1753 cum Academia Chirurgica Parisiensi communicavit. Proficuam illam esse, noster quoque casus Clinico-practicus, ad finem hujus dissertationis describendus, confirmat. Eandem tamen rem, brevi post Le Dranium, a Delaportio 59) et anno 1812 a Clechornio 60) Glasguenensi Professore pluribusque aliis vario tempore tentatam, haud successisse legimus. Neque sola incisio, si sacci parietes admodum crassos vel in scirrhum degeneratos invenias, succedere unquam potest. Hoc rerum statu, potius ad sacci excisionem, quam Anhornius 61) jam commendavit et Dzondius Hallensis, teste Lizarsio 62), bono cum eventu perfecit; aut, si ovarium hydrope occupatum et, quod saepissime accidit, prorsus degeneratum deprehendas, ad ovarii extirpationem, de qua mox acturi sumus, confugiendum est.

7) *Ovariorum degeneratio.* In extirpandis quoque ovariis degeneratis laparotomia locum sibi vindicat Hanc autem ovariorum extirpationem haud novam

---

58) Memoires de l'Acad. roy. d. Chir. T. II. p. 431.

59) Ibid. p. 452.

60) Dissert. medica inauguralis de ascite saccato A. Turnbulii, Edinburgi 1820 p. 22.

61) Ephemer. Acad. N. C. Cent. IX et X. Obs. 100.

62) l. c.

esse, ex fastis antiquorum colligitur. Sic ALXANDER AB ALEXANDRO commemorat Creophagos, quemdam Arabiae populum, qui Aegyptiorum more, mulieribus suis excindebant ovaria, ob causas quas et sana ratio et humanitas ipsa reprobant. Referente ATHAENEO, ADRAMITES Libyorum rex, foeminas, eunuchis servituras, castrari jussit. De quo crimine HESYCHIUS et SUIDAS GIGESIUM etiam accusant 63). Castrationem mulierum, quondam in Germania in usu quoque fuisse, PAULUS ZACHIAS 64) testatur. FRANKENAU 65) ait se vidisse foeminam, quae, accepto ad inguen vulnere, ovarium amisit et tandem sanitatem recuperavit. Memorabilis etiam est casus a DE GRAAFIO et WIERO 66) ex BOERHAAVIO exscriptus de quodam castratore, qui filiam suam stupro nimis indulgentem a prava hac consuetudine avocaturus, exsecuit ei ovaria. Haec tamen omnia, utpote ad statum morbosum minime spectantia, ad medicam artem haud pertinent.

Morbosorum autem ovariorum extirpationem proposuerunt FELIX PLATERUS, DIMERBROECKIUS et DELAPORTIUS 67). Illos secutus est MORANDUS 68), qui tam aliorum exemplis quam experimentis factis in avium femellis et quadrupedum, monstrare desudat, ovarium arte chirurgica citra dispendium vitae extirpari posse. Multi tamen operationis hunc in finem susceptae adversarii exstiterunt, quorum acerrimus habetur SABATIERUS, qui eam nequaquam peragi posse declaraverunt, sequentibus argumentis freti: 1mo.

---

63) *Vid* Memoires de l'Acad. d. Chir. T. II. p. 460 et SABATIER op. cit. T. II. p. 503.

64) *Vid* Dictionaire de Médecine T. VIII p. 367.

65) Satyrae medicae p. 41.

66) Dictionaire d. sc. Med. T. XXXIX p. 42.

67) Memoire de l'Acad. d. Chirurgie T. II p. 460.

68) Ibid.

Quod peritonaei sectio violentissimam inflammationem excitat. 2do. Quod ovarium saepenumero omnibus simul partibus adhaeret. 3tio. Quod ejus vasa, aucta ovarii mole adeo dilatantur, ut sub extirpatione, gravissima haemorrhagia oriatur. 4to. Quod interdum nullo pacto definire licet, utrum morbus in ovario, an alibi lateat. 5to. Quod saepe utrumque simul ovarium morbo detinetur; quo fit, ut duas simul operationes institui oporteat. 6to. Quod denique difficile est eligere tempus, quo operatio suscipi possit 69).

Argumenta haec sane quamvis magnam vim habent, non tamen tanti momenti esse videntur, ut iisdem commoti ab operatione abhorreamus. Quoad *primum* enim Lizarsius docet 70), membranas serosas minus dispositas esse ad concipiendam inflammationem, quam organa e textu celluloso conflata: cujus rei argumento id esse potest, quod in testiculorum tunicis inflammatio adhaesiva ad curandum hydrocelen necessaria, vel fortioribus injectionibus difficillime promovetur. 2do. Negari quidem nequit fieri posse, ut ovaria pluribus simul partibus vicinis adhaerere deprehendas; non tamen inde conjicere licet, adhaesiones illas ubique aut ejusmodi esse, ut eas dextera manu sine periculo, solvere nequeas 71). 3tio. Periculis ex haemorrhagia sequuturis occurri potest ligaturâ, tubae atque ligamento lato, praeeuntibus Macdovalo et Lizarsio ante ovarii extirpationem impositâ, quip-

---

69) *Vid* Sabatieri op. cit, T. II p. 503.

70) l. c.

71) Sufficiat hic memorare Macdovalum et N. Smithium, quorum prior, voluminosum ovarii tumorem vesicae et utero adhaerentem, alter vero eundem cum omento et parietibus abdominis fortiter conjunctum sine periculo separavit, prosperoque cum successu extirpavit.

pe quâ, arteriae spermaticae eum tumorem unice 72) providentes, insimul vinciuntur. 4to. Cui a principio morbum observare contigerit, vel qui dein rite iteratisque vicibus examen instituerit, is certe in diagnosi facienda errorem haud committere poterit. 5to. Utriusque simul ovarii degeneratio ab auctoribus morbo jam satis provecto, operationem suscipientibus, admodum raro abservabatur. 6to. Quod ultimo loco a nonnulis contra laparotomiam proferri memoravimus, id jam multo minoris momenti habendum est.

Utut vero res sese habeat, operationem hanc teste Lizarsio 73), ante quinquaginta annos Leman jam exercuit. Houstounsii quoque operatio, a nonnullis pro sacci hydropici sola incisione habita, secundum Borgesium 74) nil aliud fuit quam sincera ovarii extirpatio. Hic etiam commemorari merentur casus hujusmodi operationis, licet involuntarie factae, quos in Professoris Deneux opusculo 75) consignatos legimus. Primus ubi ovarium herniosum a Lassuso pro tumore lymphatico sumptum atque extirpatum erat, nihilominus mulier, sine ullo gravi symptomate convaluit. Alter casus ex Percival Pottio transcriptus, ubi agitur de virgine 23 annorum cui ovaria, epiploceles seu potius tumoris adiposi speciem referentia, in inguine foede prominebant: ovaria haec facta cutis incisione positaque dein ligatura, a laudato auctore, rescissa fuere. Casus hic vel ob id observatu dignissimus est, quod progressu temporis mulier illa adeo immutata fuit, ut, sive ejus corpus sive mentem spectaveris, viri quodammodo naturam induisse videretur. Alius

---

72) Lizars l. c.

73) I. c.

74) *Vid* Schregeri op. cit.

75) Recherches sur la hernie de l'ovaire. 1813.

denique casus pertinet ad ipsum DENEUX, qui in foemina quadam entero-epiplo-celen adesse suspicatus, ad exercendam herniotomiam sese accinxit, ovario tandem reperto, illud bistouri ope amovere coactus fuit. Aegra intra 30 dies, sanitatem recuperavit.

Ovarium autem degeneratione correptum, teste VALENTIN, LAFLIZE *de Nantes* 76), optato cum exitu extirpavit. EPHRAIM DOWEL *de Danville*(Kentucky) 77) eandem rem bis, anno scilicet 1817 et 1818 perfecit, quae tamen altera vice male ei cessit. Porro, anno 1821 78) et 1826 79) hanc operationem a NATHAN SMITH, eodemque anno a SMITH *de Danville* (Kentucky) 80) feliciter et dextre peractam fuisse legimus. Clarus deinde eodem negotio est LIZARSIUS 81), qui tres MACDOWALII *de Kentucky* observationes, et quinque suas anno 1825 typis vulgavit, ubi simul, degeneratorum ovariorum extirpationem non tam periculosam esse, ut vulgo creditur, demonstrare satagit.

8. *Processus xyphoidei introversio.* Praeter casus hactenus memoratos, laparotomia indicari etiam potest ad reducendum processum xyphoideum, a quacunque vi extrinsecus illata introversum.

Unicum hujus operationis tali in casu cum desiderato successu susceptae exemplum BILLARDIUS 82) offert.

9. Quot sunt denique casus gastrotomiam proprie sic dictam, enterotomiam et hysterotomiam vel sec-

---

76) Dictionaire des sciences méd. T. XXXIX p. 44.
77) Eclectic Repertory vol. VII p. 242. Vol. IX p. 546.
78) Edinb. med. surg. journ. No 73.
79) Archives générales de méd. T. XIII Août 1827.
80) Journal universel d. sciences médicales 1826 Mai p 240.
81) l. c.
82) Dict. d. sc. méd. T. XVII p. 450. *Cfr.* Journal d. med. de Sedillot T. 22 p. 263.

tionem caesaream exposcentes, tot numerantur indicationes ad laparotomiam exercendam. Sed temporis et scriptionis nostrae ratio de singulis his disserere nos non sinit.

CONTRAINDICATIONES.

1. Crudelitatis merito inculpandus esset, quicunque, omnibus jam viscerum abdominalium gangraena aut sphacelo correptorum signis comparentibus, viribusve aegri multum fractis, manum adplicare ausus fuerit: irritam enim tunc fore operationem, vel me tacente, quilibet facile videt. Verum tamen et haec quoque regula suam patitur exceptionem; accidente enim uteri ruptura, ubi exploratum habueris vel saltem probabile tibi fuerit, infantem ad cavum abdominis delapsum adhuc vivere, ut eum serves, vel sub hac rerum positione, quin imo, in ipso mortis articulo ad abdominis sectionem accedendum erit.

2. Ad emittendum sanguinem extravasatum laparotomia non debet institui, priusquam eum intus conquievisse exploratum fuerit: cujus rei nota est, si abdomen haud magis intumescit.

PROGNOSIS.

Gravis sane ac periculi plena curatio haec est; eam tamen non semper fausto carere exitu, e supra allatis exemplis patet manifesto. Prognosis igitur in genere non est valde mala, potissimum si operatio opportune, rite, ac perite instituatur. Sed haec ipsa operationis gravitas, diagnosis mali non semper certa, organorum abdominalium et aegri status saepe morbo labefactatus, multaque alia, quae interea facile accidere possunt, nonnisi valde ambiguum praesagium ferri semper jubent.

PRAEMISSA OPERATIONIS.

Priusquam ad operationem accedat chirurgus, ea, quae vel ad ipsius auxilium, vel ad aegrum pertineant advertere debet.

1. *Praeparatio aegri.* Ante omnia autem aeger ad operationem praeparari debet. Haec vero praeparatio semper in eo consistit: 1mo ut, qua die operatio suscipienda est, alvus clysmate injecto eluatur; 2do ut urina ab aegro reddatur, vel, si quid eam sua sponte effluere prohibet, cathetere in ejus vias immisso, educatur; 3tio ut pili, qui instituendae incisioni impedimento sunt, abradantur.

2. *Apparatus.* Deinde instrumenta colligantur oportet, quae sunt: 1. Scalpellum vulgare, cuti et integumentis dissecandis idoneum. 2. Pottii cultellus et specillum sulcatum in altero sui extremo clausum et obtusum: utrumque hoc instrumentum dilatando peritonaeo inserviet. 3. Apparatus ad arcendum sanguinis profluvium. 4. Forcipes ad evellendos polypos vulgo usitati, in laparotomia necessarii sunt ad infantis reliquia, si jam putridum sit, educenda, atque duo unci, quorum ministerio, infans extra sinum matris, data occasione, eliminari possit. 5. Item cochlear longo manubrio instructum adsit necesse est, quo sanguis coagulatus vel materies spissa efferatur. 6. Fila robusta vel funiculi quales in gastroraphia adhibentur. 7. Aqua tepida et frigida, nec non spongia una vel duae probe mundae. 8. Deligationis apparatus, qui consistit in teniola ad setacei modum parata, linteo carpto et plumaceolis ex eo compositis, cerato simplici vel oleo olivarum, emplastris agglutinantibus in strias instar illorum Stärckianorum rescissis, splenio ter quaterve composito, et dein fascia unienti abdominis, scapulari, ut Zangius vult, tenenda. Praeterea, si operatio in muliere gra-

vida suscipienda sit, praeparari debet teniola ad deligandum funiculum umbilicalem, aliaque quorum infans recens natus indiget. Excitantia quoque, ori ac naribus, si opus, admovenda, in promptu sint, necesse est.

3. *Positio aegri.* Tandem commodus aegri situs conciliandus. Ita autem aeger in lecto vel mensa collocari debet, ut resupinus, vel in latus, illi, quo incisio perficienda est, oppositum jaceat, pectore et coxis demissioribus, abdomine vero elatiore. Tunc duo fortiores ministri, crura femoraque diducta firmiter sustentant, jactationemqe corporis impediunt; scapulae vero et caput a duobus aliis adjutoribus fortiter tenentur, ne corporis pars superior moveri queat.

4. *Loci delectus.* Querendus est denique locus, quo incisionem fieri conveniat. Locus vero ille aeque ac incisionis magnitudo vulgo definitur morbi sede vel magnitudine et corporis laparotomiae ope extrahendi positione. In genere igitur haec regula servanda est, ut incisio vel e regione corporis extrahendi, vel prope illud, semper tamen aequalibus spatiis a linea alba distans instituatur, hac solummodo cautela adhibita, ne arteriae epigastricae truncus laedatur.

O P E R A T I O.

Cunctis, quae ad operationem requiruntur, rite dispositis, chirurgus aegri metum, si quis est, probabili sermone depellens ad operationem ipisam se accingit, quae, pro vario scopo varie expediri solet.

Operatio ad foetum extrahendum. Aegrâ rite dispositâ, minister, ipsum operatorem adjuturus, utrâque manu lateribus abdominis imposita, stabilem efficit foetum; chirurgus vero ad dextrum aegrae latus vel inter ejus femora commode collocatus, pollice et indice levae manus transversim tendit cu-

tim, scalpelloque manu dextra prehenso, in linea alba, vel a latere ejus, plagam sex pollices longam primum in cute et pinguedine, deinde vero in musculis efficit. Si forte hoc modo arteria quaedem scissa fuerit, confestim eam ligat, ne ullus sit haemorrhagiae locus. Retractis dein ad latera labris vulneris, peritonaeum quod jam denudatum est, ejusdem scalpelli mucrone in loco exiguo aperit, immissoque per hanc aperturam cultello Pottii supra stylum sulcatum vel digitum, ne quid intus temere laedatur, ad eandem longitudinem dissecat. Quo facto, expedit mulierem capite in priora magis inclinato, femoribusque flexis esse, sic enim musculi abdominis relaxantur, et aditus ad extrahendum foetum promptior faciliorque conciliatur. Quae cum ita sint, operator dextrâ manu inunctâ cavoque abdominis immissa, pedes infantis quaerit, hisque arreptis, illum protrahit ita convertendo, ut maxima variarum ejus partium diametros, plagae longitudini respondeat; si vero caput primum obviam venerit, angulos maxillae digitis prehendit infantemque eadem lege e sinu matris effert, utroque in casu, si manus deficit, ad uncos recurrens. Exempto infante, ejusque chorda umbilicali, si vivus fuerit, rite ligata et resecta, operator manum suam in cavum abdominis iterum dimittat necesse est, idque eum in finem, ut exploret, utrum alter adhuc infans inveniatur, eumque, si adest, indicato jam modo, eruat, sin minus, placentae educendae operam omnem navet. Huic momento perficiendo saepe adhaesiones obstare solent, quibus haec secundina cum aliis partibus nectitur. Hae igitur unguibus digitorum vel scalpello prudenter et, quoad ejus fieri poterit, cautissime destruendae sunt. Sed si placentam variis partibus fortiter lateque adhaesisse deprehenderis, consultius certe erit eam, liga-

tâ funiculi parte ad eam pertinente, exemplo WEINHARDTII HEIMIIque intus relinquere, quam manu illam avellendo periculosam haemorhagiam excitare et organa violare.

Si membranae foetum amicientes nondum ruptae sint, vel si foetus in ovario aut in tuba Fallopii haereat; aperto prius ventre ac peritonaeo, membranas has et ovarium, adhibita cautela, ne quid detrimenti faetus placentave capiat, aperire oportet: in eximendo autem foetu et placenta, procedendum est, ut supra. — OSSIANDERUS 83) foetum membranis suis amictum, solutis adhaesionibus, vel etiam extirpato ovario et tuba, si in his foetus delituerit, ejici jubet. Hanc tamen methodum, praesertim ubi infans jam grandis est, valde aegre aut nullo pacto adhiberi posse putamus.

Si post rupturam uteri foetus non totus, sed solummodo aliqua ejus pars in ventrem ingrediatur, reliqua in utero remanente, quemadmodum subinde fieri solet, tunc operanti chirurgo enitendum est, ut illum extrahat, rimam lacerati uteri, nisi extrema necessitate imperante, haud ulterius dilatando. Illo vero cum placenta ejecto, probe circumspiciat necesse est, ne intestini aliqua portio in illam rimam irruat, ibique relinquatur, in quo quid periculi sit, quilibet facile intelliget.

In casu, ubi foetus praegressae inflammationis causa in supurationem transierit, per aperturam arte factam, vel si illa jam naturâ efformata sit, probe dilatatam, reliquiae tenelli, digitorum aut forcipis ministerio, diligenter depromendae sunt.

Op. ad extravasatum educendum. Praesente extravasato, operatio perficitur ad normam illam quam

83) *Vid.* ZANGII op. cit. p. 222.

modo tradidimus, eo tantum discrimine, quod incisio, quam in praecedenti casu sex digitos transversos longam fuisse vidimus, hic duobus digitis longior esse non debet. Instituenda autem est in loco magis prominente, quippe haec prominentia indicare solet extravasatum ibi collectum esse. Facta apertura, aeger certa ratione collocari et in vulnus inclinari debet, ut sanguis profluat; subinde etiam spiritum continere et tussire jubetur, ut, imminuto hac ratione cavi abdominis spatio, sanguis facilius expellatur: quod tamen non semper tuto commendari potest. Sanguis coagulatus et spissus digitis vel cochleare evocandus est.

Op. ad volvulum solvendum. Ubi volvulum vel intussusceptionem adesse e signis quibusdam appareat, maxime interest ut chirurgus, pro diversa illorum sede, justum incisioni instituendae locum eligat 84). Tunc autem, eodem prorsus modo ut in prima operatione, transcissis integumentis in longitudine pollicum duorum 85), atque parato ad abdominis cavum aditu, operator omne studium in id convertat necesse est, ut intestini portionem reduplicatam, vel convolutam, vel dein strangulatam investiget, leniter extus extrahat, atque a vitio, quod praesto sit, liberet. Quem finem si assequutus est chirurgus, summa cum moderatine intestinum in suam sedem et ventrem, secundum taxeos praecepta reponere atque condere debet.

Op. ad curandum hydropem saccatum. In hy-

---

84) Nuckius et Ohle sinistrum hypochondrium incidebant. Illud et Dupuytrenius uno in casu aperuit, sed incassum; incarceratio enim in dextro fuit latere. (Vid. *casum hunc descriptum in Sabat. op. cit. T. III. p.* 480.

85) Ohle incisionem quinque cum dimidio pollices longam instituebat.

drope saccato, observatâ eadem encheiresi, quam in extrahendo infante ex ovario vel tuba commendatam supra vidimus, primum integumenta et peritonaeum deinde vero saccus ipse, sectione sat ampla (4—5 pollicum) et in longum ductâ 86), aperiuntur; tum inclinato ad vulnus corpore, materies exprimitur, aut, si nimis spissa fuerit, cochlearis ministerio depromitur. Le Dranius in operatione primum a se peracta a ventre acus triquetrae ope pungendo initium fecit, ortoque hinc foramini immisit specillum sulcatum et supra eum bistouri, quo integumenta, una cum sacco dissecavit. Quae tamen methodus nostro consilio minus apta est, quia 1º vulnus inaequale efficitur, 2º arteriae et viscera facilius laedi possunt.

Ovarii extirpatio. Ovarii extirpationem suscepturus chirurgus Macdovali et Lizarsii vestigiis insistat, qui hac operatione pluries et feliciter a se peracta inclaruere. Eorum vero agendi modus his fere continetur. Integumenta et peritonaeum, plagae ope, novem (Macdoval) ad duodecim (Lizars) pollices longae, in linea alba vel pone eam, trium pollicum spatio interjecto, institutae, servato ritu superius nobis descripto, primum secantur. Deinde vero, ubi jam tumor denudatus in conspectum venerit, studiose explorandum est, quae sit ejus magnitudo, et quibus partibus ille adhaereat. Tunc, ne e nimio sanguinis effluvio periculum oriatur, tubam Fallopii, tumorem inter et uterum, lino e plurimis filis composito, circumdari fortiterque constringi oportet. Quo facto, ad minuendam tumoris molem, materies, quae in illo saepissime continetur, punctionis vel incisio-

86) In uno casu Le Dranius, sectione transuersa pone saccum ductâ, musculum rectum abdominis et arteriam epigastricam resecuit.

nis ope emittitur, atque ipse dein tumor, destructis adhaesionibus, quibus ille cum aliis partibus nectitur, tubâque una cum ligamento lato transcissis, e sede sua removetur.

Ad solvendas adhaesiones, Lizarsius non digitis sed scalpello uti suadet, sic enim vexationem, lacerationemque viscerum facilius vitari dicit. Quanta autem in tumore separando opus sit dexteritate, praesertim si eum intestinis vel vesicae adhaesisse deprehenderis, ipsa res loquitur.

Si aperto abdomine, tumorem non nimis grandem e ligamento lato tenujoris pedunculi 87) ope suspensum animaduerteris, tunc transcisso illo pedunculo, reliquam operationis partem facili negotio absolvere possis; sed scissa vasa difficile postea devinciuntur. Idcirco omni in casu tutius semper erit ligaturam tubae Fallopii prius imponere.

Op. ad processum xyphoideum reducendum. Ut processus xyphoidei introversioni consulamus, exemplo Billardii, tegumenta in epigastrio incisione cruciata justae magnitudinis, transcinduntur, diductis vero panniculis inde formatis, meroque peritonaeo apparente nudo, in eodem, ex uno alterove processus xyphoidei latere, efficitur apertura, introducendo unco idonea. Tum uncus hic in eam partem, quae est a cartilaginis tergo, promovetur, ejusque ministerio, haec appendix in situm naturalem, restituitur.

---

87) Dans presque tous les cas dits d'affection de l'ovaire, rapportés par les auteurs, et dans ceux que j'ai observés moi-même, la tumeur n'était suspendue au ligament large de l'utérus, que par un petit pendicule. C'est que prouvent les faits cités par *Meckreen*, *Gahrliep*, *Laubius*, *Littre* et *Morgagni* (*Vid*, Lizars *l. c.*)

DELIGATIO.

Post operationem quocunque scopo peractam, chirurgus in id operam convertat, ut sanguinem sub operatione in cavum abdominis effusum, diligentissime quoad ejus fieri poterit inde evocet. Quod efficitur inclinato ad vulnus corpore et injectâ aquâ tepida. Extracto autem sanguine, plaga ventris secundum regulas in gastroraphia propositas suitur, in inferiori parte nonnullis in casibus parvo foramine in hunc finem relicto, ut esset via, qua et omne id quod intus fuerit, profluere et, pro re nata, injectiones institui possint. Foramini autem huic, ne consolidetur, teniola in setacei modum parata 88) et oleo olivarum imbuta, imponitur, cujus caput exterius super ventrem collocatur, ac emplastri ope sistitur, ne tota in abdomen devolvatur. Teniola haec, si incisus saccus hydropicus in abdomine relinquatur, ad ejus usque spatium immitti debet. Quo facto, inter unamquamque suturam, ad illarum actionem adjuvandam emplastra Stärckiana dicta, ponuntur.

Vulnus tandem obtegitur plumaceolis oleo olivarum aut cerato simplici praeunctis, quibus superimponitur linteum compositum. Cuncta haec denique firmantur fascia cum scapulari.

Si infante extracto placenta in abdomine remanserit, vel si operatio extravasati educendi causâ susceptâ, ei eliminando non par fuerit, aut educto extravasato antiquo extimescendum fuerit, ne novum

---

88) Cannulae vel fistulae quibus nonnulli hoc scopo utuntur, minus conveniunt, imo nocivae sunt; sanguinem quippe coagulatum, vel materiem paullo spissiorem, haud facile transmittunt, et margines vulneris vehementer irritando, illas callosas reddere possunt, ex qua re fistulae nascuntur.

subsequatur; tunc vulneris margines in superiore dumtaxat ejus parte dimidia suturae siccae ope sibi invicem admovendos curabis, inferiorem vero dimidiam vulneris partem omnino hiantem relinques. Per hoc autem foramen in parte vulneris inferiore relictum, funiculus umbilicalis extus educitur atque pendulus relinquitur. Deligatio eadem ferme fit ratione, ut in casu superiore.

Omnibus his rite peractis, aegrotus lecto componendus est, corpore in vulnus inclinato, ut sic non solum alieni humores extus continuo effluere, verum etiam vulneris orae facilius glutinari queant, id quod commode fieri potest, si plaga facta fuerit in latere. Monendus etiam est aeger, ut omnem vel levissimum motum, qui cum ventris nisu jungitur, evitet, et regimen diaeteticum, quod in universum antiphlogisticum commendatur, strictissime observet. Nihil vero magis hic prodest, quàm si alvus crebrius levi lotione, ex emollientibus composita, ducatur. Si vulnus sutura cruenta plane constrictum sit, apparatus deligatorius ad glutinationem promovendam per tres quatuorve dies continuos remanere debet, nisi forte gravis aliquis casus contrarium postulaverit. Post primam autem deligationem resolutam, semel quotidie vulnus deligatur ad perfectam usque ejus glutinationem, quae 14 die saepe contingere solet. In omni vero alio casu, praesertim si humor abunde effluit, vulneris deligatio altero mox post operationem nychtemero renovanda, atque postea bis quotidie gnaviter instituenda est. Quo sub opere haec sunt servanda: 1. ut humor in cavo abdominis collectus diligenter exprimatur, ea tamen moderatione, ne intestina provolvantur; 2. ut, si placenta vel pars sanguinis extravasati remansit, injectiones ex aqua tepida in abdomen, si vero saccus hy-

dropicus, acriores illae ad mentem Le Dranii, in saccum instituantur, qua in re cavendum est vel maxime, ne liquidum sacco injectum ad abdomen perveniat; 3. ut ipsum vulnus probe semper abstergatur. Ea autem ratione tam diu procedendum est, donec aeger convalescat.

Ab instituto nostro haud alienum esse censemus, paucis hoc loco de iis agere, quorum alia sub ipsa operatione, alia autem post eam peractam variis temporibus accidere solent.

Ad priora pertinent: lypothimiae, immanis haemorrhagia, intestinorum provolutio, vomitus et convulsiones. — Aeger animo linquens, aqua frigida variisque volatilibus excitatur. Haemorrhagia sistitur, vasorum scindendorum vel jam scissorum vinctura. Ne intestina provolvantur, minister sub operatione manibus ea arcere, provoluta vero linteis, aquâ ad 98° Fahr. calefacta, madefactis, donec operatio absolvatur, suadente Lizarsio, tueri atque retinere debet. Vomitus et convulsiones sub operatione nullam agnoscunt curam, sed ad praecipitandum opus compellunt, a quo tamen, si paroxismus ingruat, abstineri decet.

Ad posteriora vero referuntur: haemorrhagia secundaria; vehemens musculorum abdominalium, peritonaei, intestinorum aliorumque viscerum inflamatio; collectio puris in abdomine; gangraena; singultus, vomitus, convulsiones; provolutio intestinorum; variae sequelae relictarum in abdomine infantis partium, placentae vel sanguinis concreti; porro herniae ventrales et fistulae.

Accidente haemorrhagia, apparatus deligatorius removendus est, atque investigatum vas devinciendum;

haec enim unica atque certissima fluxui sanguinis obviam eundi ratio habetur.

Inflammatio infringi potest, quum venaesectione usque ad animi deliquium aliquoties instituta, tum hirudinum et cucurbitularum scarificatarum ope, nec non fomentationibus tum frigidis tum dein emollientibus, frictionibus ex ungento mercuriali, aliisque; suturae denique relaxandae vel etiam protinus removendae sunt, si ab iis inflammationem profectam esse apparuerit.

Collecto puri via scalpello secundum regulas traditas aperitur, subjuncto medicamentorum ejus secretioni minuendae vel maxime idoneorum usu.

Singultus, vomitus, et convulsiones ex inflamatione saepe oriuntur, qua devicta, vulgo silent. Haec autem mala ex nimia sensibilitate provenientia anodinis et paregoricis, intus et extus adhibendis, cedunt 89). Singultum et vomitum suturarum cruenta-

---

89) Memorari hic meretur methodus ad compescendum vomitum Smithio *de Danville* post extirpationem ovarii adhibitam, quae in eo consistit, ut opiata simulque laxantia in majoribus dosis porrigantur. Prima post operationem die exhibuit ille septuaginta quinque Laudani liquidi guttas, quas cum aegra mox evomuit, iterum 50 guttas ejusdem remedii porrexit, elapsâ autem dimidia horae parte, 200 guttas cum clysmate injici jussit. Vomitu adhuc saeviente, suppositorium cum quinque granis extracti opii aquosi ano immisit atque decoctum ex senna, jalappa, sale et anyso stellato paratum omni bihorio vasculatim sumendum praescripsit, quo aegra per quatuor dies continuos utebatur. Insimul clysteres cum opio quotidie crebrius injiciebantur. Hoc temporis spatio venaesectio etiam bis instituta atque vesicatorium abdomini applicitum fuit. Vomitus sub hac medela siluit. (*Vide Journal universel. d. sc. méd.* 1826 *Mai*).

rum etiam praesentiâ excitari posse, ex Pipeleti observatione 90) constat.

Intestina devolvi possunt accidente tympanite, tussi, vomitu, item sub fortiori motu, sub nisu ad alvum deponendam denique sub deligatione vulneris non satis cauta. Provoluta itaque intestina, quantotius reponenda sunt, orae vulneris fortius constringendae atque causa abigenda.

Particulae infantis, aut placenta aut sanguis in abdomine relictus, cito in putredinem abeunt, atque viscera inquinando, funesta mala gignere possunt. Quod ne eveniat, maximam munditiem adhiberi oportet; quamobrem purganda sunt viscera lotionibus ex aqua tepida simplici, sub quavis deligatione in vulnus compellendis. Subsecuta tandem febris typhoidea, idoneis auxiliis quae therapia suppeditat, curari debet.

Herniis occurritur fasciarum valentius abdomen ambientium usu, quae per plures menses sine intermissione superhabeantur, necesse est.

Superstes dein fistula exposcit curam, quae in chirurgia suo loco traditur.

OBSERVATIO.

Anna Rudnicki vidua, phlegmatici temperamenti ac scrophulosi habitus, nullis antea morbis obnoxia, anno aetatis 27, aestivo tempore, inter graviores labores tota sudore perfusa, frigidiusculo vespertino aëri sese exposuit, atque febrem stranguria stipatam acquisivit, quae unius hebdomadis spatio sponte cessit; remanente tamen insolita quadam lassitudine. Brevi post in latere dextro ad regionem hypogastricam, tumorem, ovi gallinacei magnitudinem aequantem, mobilem ac indolentem, persensit, qui nullis remediis tractatus, duorum

90) In Memoires d. l'Acad. royal. de Chir. T. III p. 415.

annorum intervallo, adeo excrevit, ut statum graviditatis septem mestris adamussim mentiretur. Maximis tunc incommodis vexata aegra, anno 1827 die 22 Martii, auxilii quaerendi causâ, ad Clinicum Institutum Chirurgicum se contulit. Examini subdita exhibuit, tumorem illum totam fere cavitatem abdominis explentem in regione hypogastrica in medio prominentem musculosque abdominis non leviter distendentem, tensum, elasticum, ad latera tantum mobilem, sub attactu minime dolorificum, atque nulla fere fluctuationis vestigia ostendentem. His praesentibus querebatur aegra de ponderis sensu in abdomine, de doloribus in tumore per intervalla redeuntibus, de extremitatis dextrae torpore, de alvo tarda et urinarum parcâ secretione. Menstruorum tamen fluxus caeteraeque functiones rite absolvebantur. Vagina et uterus praeter effluxum materiei albae, nil morbosi offerebant.

Quum omnia haec symptomata, ovarii degenerationem scirrhosam simplicem vel cum ejus hydrope junctam ostendere viderentur, positâ igitur sinistra prognosi, ad ejus extirpationem, utpote unicum hoc in casu auxilium confugere statuimus. Praeparatis itaque omnibus, ad eam perficiendam necessariis, die 30 martii ad operationem ventum est. Aegrae rite in mensa operatoria collocatae, atque a ministris sustentatae Ill. Gałęzowski incisionem in linea alba quinque pollices longam, initio facto a parte supra umbilicum posita, scalpello instituit. Divisis vero integumentis, peritonaeoque apparente nudo, illud ejusdem scalpelli ministerio in loco exiguo caute perforavit, atque cultello Pottii supra digitum indicem sinistrae manus ad eandem longitudinem dissecuit. Intestinorum autem parte simul cum omento provolutâ, in conspectum venit tumor, qui nil aliud fuit quam dextrum ovarium in miram magnitudinem exoretum, cujus

superficies alba ad attactum dura, inaequalis, granulosa et quasi ex membrana tendinoso-cartilaginea et reticulari, hinc crassiore illinc tenujore, contexta erat. Manu ad cavum abdominis introducta, tumoreque hoc accuratius examinato, cognitum est, illum a regione iliaca dextra ad sinistram illam exporrectum, et in toto hoc spatio firmiter partibus vicinis et potissimum posteriori abdominis parieti alligatum fuisse, evidentissimeque liquidum aliquod in interioribus continuisse. In quo rerum statu, quum Ill. Operator animaduertisset ovarii separationem et excisionem nequaquam perfici posse, a suo proposito recessit, atque Le Dranium secutus, utrem illum incisione sat magna aperuit; sed admodum parva liquidi copia exiit. Immisso vero ad ejus cavum digito, investigatum est, illud in numerosas cellulas distributum esse, quibus destructis factum est, ut materiei spissae subflavae et therebintinae speciem referentis, tres circiter librae effluxerint. Qua educta, Dr. Gałęzowski per unam sacci parietem trajecit linum externe pendulum, ut ejus ministerio, saccus prope vulnus abdominis sustentatus, materiem ibi sese colligentem, non in ventrem, sed extus eructaret. Repositis tunc in ventrem intestinis (quod non sine multo labore factum est, maxima eorum parte extus elapsâ), vulneris labia probe depurgata, quatuor suturis nodosis, totidemque emplastri adhaesivi teniolis, contraxit, relicto parvo foramine in inferiore vulneris angulo; cui ne consolidetur linteum carptum oléo olivarum perunctum ad cavum usque sacci incisi penetrans, injecit. Vulnus dein totum plumaceolis eodem oleo imbutis, linteisque carptis siccis obtexit, omnia emplastri adhaesivi teniolis firmavit. Omnibus peractis, aegra lecto committitur; vulneri, ad praecavendam inflammationem, glacies in vesicam bovilem involuta superimponitur; ad alvum vero solvendam, oleum ricini cochleatim sumendum, praescribitur.

Vespere. Aliquoties in die aegra vomuit. Abdomen tensum et sub tactu dolorificum, calor corporis auctus, pulsus contractus, regularis, frequentior sano. Venae sectio e pede ad uncias octo instituitur.

Die 2 post operationem. Nox fere insomnis; abdominis tensio et inflatio major. Vomitus *potione Riveri* paululum mitigatur, alvus nulla. In ol. ricini locum substituuntur pulveris ex Calomelano grana quatuor omni bihorio sumenda, et clysma emolliens.

Die 3 post oper. Nullus ex Calomelano effectus et omnia praeter vomitum, qui prorsus siluit, in eodem statu observantur. Inter deligandum, materiei seroso-puriformis circiter libra una cum dimidio exprimitur. Positio aegrae ex resupina in lateralem illam mutatur, quo facilius materies defluere possit. Hirudines 18 abdomini applicantur, et Calomelani omni secunda hora grana octo porriguntur, ut alvus citius moveatur.

Die 4 post oper. Dolores abdominis mitigati, alvus tamen adhuc clausa. Quare in calomelani usu ulterius pergitur. Deligatio mutatur, iterumque magna materiei copia exprimitur.

Die 5 post oper. Alvus ter mota; quo fit, ut abdominis dolor mitigetur aegraque multum recreetur. Calor corporis et pulsus fere naturalis, sed tussis ingruit. Ad quam leniendam decoctum seminum lini cum syrupo papaveris rheados praescribitur; calomel vero seponitur.

Die 8 post oper. Status universalis aegrae desideratissimus et unionis signa certissima. Ligaturae, suppurationem integumentorum excitantes, amoventur.

Die 9 post oper. Inter deligandum materies fusci coloris et foetida cum flocculis exiit.

Die 14 post oper. Materies puri analoga cum flocculis expressa est, ex quo suspicari licuit saccum ipsum jam solvi.

Die 15 post oper. Indicantur remedia vires restaurantia, nempe decoctum ex Lichene Islandico et jusculum carneum.

Die 32 post oper. Sub deligatione voluminosum sacci frustum extractum est.

Die 35 post oper. Abdomen volumine auctum, atque praeter modum tensum animaduertebatur, quod suspicionem de extravasati praesentia movebat. Erat igitur locus decocto ex stipitibus Dulcamarae.

Die 47 post oper. Sub Dulcamarae usu urinae magna in copia movebantur atque abdominis intumescentia sensim sensimque prorsus disparuit; illud igitur remedium seponitur, et lautior diaeta aegrae conceditur.

Die 52 post oper. Ex vulnere iterum sacci frustum cum magna puris copia exiit.

Die 62 post oper. Tertium frustum sub deligatione exemptum.

Die 66 post oper. Foramen adeo imminutum, ut materies, licet aquosa, vix efflui queat; ad illud igitur dilatandum turunda, ex spongia cerata confecta, immittitur.

Die 70 post oper. Jussa denique aegra, ut seriori quoque tempore, donec materies ex abdomine stillare cessaverit, tenuem turundam ex linteo carpto paratam foramini rite distento, ne consolidetur, immittendam curet, ceterum sana e Clinico dimittitur.



THESES.

I.

Laparotomiam in volvulo et intussusceptione adhibendam esse contendimus.

II.

Simultanea ligatura arteriae femoralis cum vena, non solum non nociva, quin imo proficua habenda est.

III.

Plicam leprae speciem sistere non inanis est Ill. Jos. Frankii opinio.

IV.

Dantur certa hydrothoracis signa.

V.

Aphrodisiaca virtus opio immerito adscribitur.

VI.

Sanguinis per vasa capillaria circuitus non cordis arteriarumque efficacia, sed propria illorum vasculorum vi perfici videtur.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
HERPETE
QUAM
IN CAESAREA LITTERARUM UNIVERSITATE VILNENSI
AD GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE
RITE OBTINENDUM
PUBLICE DEFENDET
ANTONIUS ŁANIEWSKI
MINSCENSIS
MEDICINAE MAGISTER
Anno 1828. Die Junii.

VILNAE.
Typis Manesii et Zymelii, sub N. 196.

Wolno drukować. Wilno, dnia 4 Czerwca 1828 r.

A. Powstański, Prez. Komit. Cenz. Wileń.,
Radz. Koll. i Kawaler.

PROOEMIUM.

Quicumque intimam cutis humanae fabricam, ejus functionum in oeconomia animali dignitatem, atque summum cum respirationis, organorum uropoëticorum et sexualium systematibus nexum consensualem attentius perpendere voluerit, mirari certe desinet, tot tamque diversa huius tegumenti nostri exstare mala. Horum in numero autem, cuiusvis conditionis hominibus communis, nulli sexui, nullique aetati parcens, nec minus foeditate, molestiis, et diuturnitate, quam sua rebelli natura notissimus morbus, *herpes* dictus, haud postremum occupat locum; cuius doctrinam, speciminis inauguralis loco, conscribere, consilium nobis est.

§. I.

Definitio. 1. Herpetis 1) nomine appellamus impetiginem prurientem, plerumque serpentem ac periodicam, sub vesicularum congregatarum, plus minusve evidentium, sero rubello, flavescente, ac limpido repletarum forma comparentem, et sive in squamas, sive in crustas, sive in ulcera denique desinentem.

Litteratura. 2. Morbi, de quo agitur, vestigia iam in *Hip-*

1) *Actuarius* ita hujus vocabuli definit originem: „*Herpes* dicitur eo quod videatur ἕρπειν (quod est serpere per summam cutem), modo hanc ejus partem, modo proximam occupans, quod semper priore sanata propinqua ejus vitium excipiat.„ Meth. med. Lib. II. Cap. 12.

2) De affect. Lib. Sect. 5 pag. 85 Foes. — Epid. Lib. IV. Sect. 3.

pocratis 2), *Galeni* 3), *Plinii* 4), *Aëtii* 5), et *Avicennae* 6) operibus inveniuntur. Verum tamen, quod de aliis quoque cutis eruptionibus chronicis valere scias, tantum abest ut herpetis doctrinam veteres medici rite perfecisse existimari possint, ut potius, confusis morbi tum phaenomenis tum nominibus, eam obscurasse difficilioremque reddidisse videantur. E recentiorum autem auctorum numero, qui editis libris tum singularum tum omnium simul cutis adfectionum doctrinam illustrare studuerunt, de malo nostro optime meruisse putandi sunt, qui sequuntur: *Montagnana* 7), *Nymman* 8), *Gockel* 9), *Wedel* 10), *Pattuna* 11), *Tourney* 12), *Lorry* 13), *Roussel* 14), *Pitner* 15), *Graparon* *), *Rambeau* 16), *Poupart* 17), *Bertrand de la Gressie* 18), *Gempt* 19),

---

3) De compositione medic. Lib. V. — De tumor. praet. natur. p. II. c. 9.
4) Lib. XXVI. cap. 1.
5) Tetrab. IV. Sect. II. cap. 60.
6) Canon. Lib. IV. Fen. 3. Tract. 1. cap. 6.
7) De herpete phagedaena, gangraena et sphacelo, tractatio accuratissima. Venetiis. 1589.
8) Dissert. de herpete. Wittenbergae 1594.
9) Diss. de herpete, Altorfii 1695.
10) Diss. de herpete. Jenae 1703.
11) Trattato dell' Erpete. Venet. 1729.
12) Diss. de herpete. Nanceii 1773.
13) Tractatus de morbis cutaneis. Parisiis 1777.
14) De variis herpetum speciebus, causis, symptomatibus etc. Cadomi 1779.
15) Diss. de herpete. Budae 1780.
*) Observations et réflexions sur les dartres et sur le traitement qui leur convient (in Bullet. des sciences médicales T. 3 p. 19).
16) Mémoire sur la nature et le traitement des dartres (in Journ. d. med. militaire 4 cah. 1784).
17) Traité des dartres. Paris 1784.
18) Essai sur le traitement des dartres, avec une recueil d'observations qui démontrent l'efficacité de l'extrait de douce-amère pour la guerison de ces maladies. Paris 1784.
19) Commentatio inauguralis herpetis naturam atque causas lustrans. Marburgi 1790.

J.P.Frank 20), *Willan* 21), *Hensler* 22), *Tilesius* 23), *Dartigau* 24), *Weinhold* 25), *Costa* 26), *Alibert* 27), *J.Frank* 28), *Bateman* 29), *Barrié* 30), *Bidou* 31) *Haase* 32), *Klaatsch* 33), *Bergmann* 34), *Plumbe* 35), *Rayer* 36).

§. II.

Symptomata. Generatim.

1. Ut herpetis multifaria symptomata et phaenomena justo ordine exponi queant, tripartito eum, scholae nostrae praecepta secuti, distribuimus in *herpetem* videlicet *squamosum*, *crustaceum*, et *rodentem*.

---

20) De curandis hominum morbis epitome. Lib. IV. Mannhemii 1763.

21) Description and treatment of cutaneous diseases. London 1798.

22) De herpete seu formica veterum, labis venereae non prorsus experte. Program. Kiliae 1801.

23) Theorie der flechtenartigen Ausschläge etc. Leipzig 1802.

24) Essai (inaugurale) sur les dartres. Paris 1808.

25) Der Graphit als neuentdecktes Heilmittel gegen die Flechten. Leipzig 1808.

26) Dissert. inaugur. de herpete. Taurini 1810.

27) Précis théorique et pratique sur les maladies de la peau T. I. Edit. 2. Paris 1818.

28) Praxeos medicae universa praecepta. Part. 1*ae*. Vol. 2. Lipsiae 1815.

29) Prakt. Darstellung d. Hautkrankh. nach Willan's System bearbeitet. A. d. Engl. Hallae 1815.

30) Des dartres; thése presentée et soutenue á la Faculté de Med. de Paris. Paris 1818.

31) Réflexions pratiques sur les maladies de la peau appellèes dartres. Paris 1821.

32) De exanthematibus chronicis in universum. Lipsiae 1820.

33) Tabellarische Uebersicht d. Hautkrankh. nach Willan's System entworfen. Berlin 1824.

34) Die Krankheiten der Haut, der Haare und Nägel am menschl. Körper Leipzig 1824.

35) Prakt. Abhandlung über d. Hautkrankh. von S. Plumbe. a. d. Engl. übersetzt. Weimar 1825.

36) Traité théorique et pratique des maladies de la peau. Paris 1826. Vol. I. p. 226 - 253.

2. Herpes squamosus 37) annunciatur semper, uno aut in pluribus simul tegumentorum externorum locis, tensionis, pruritus, et ingrati ardoris sensu. Mox quidem, modo plus minusve numerosae, congregatae, minutissimae, et nonnisi oculis vitro lenticulari armatis inspiciendae vesiculae 38), modo autem grandiores, sero limpido, flavescente repletae, cum vel sine intermediae cutis inflammatione, comparent. Interjecto aliquot horarum vel dierum spatio, pars morbo prehensa tegi incipit nunc exiguis, albescentibus et farinosis quasi lamellis, nunc autem grandioribus illis coloreque albicante, cinereo vel subatro praeditis, quae *squamae* dicuntur. Iis sponte vel scalptu, quo aegrotantes sensationem morbosam, magis quovis vespere augeri solitam, compescere conantur, vel denique ablutione, aquae tepidiusculae ope, solutis, subjacens cutis, serius ocyus eidem desquamationi ortum praebitura, ut plurimum rubella apparet, nitida et sensilis. Adde, quod ejusmodi eruptio per plures interdum hebdomadas aegrum infestans, nunc constanter, per totum tempus illud, consuetis eam comitantibus phaenomenis, unum occupat locum; nunc vero, idque est frequentissimum, ex aliis in alias partes migrat, easdemque perpetuo subit mutationes. Inconstans autem hic et quasi volitans herpes, nulla ferme intermediae vesicularum cutis innotescit phlogosi, saepius furfuracea distinguitur desquamatione, atque lubentius aggreditur partes delicatula et subtili tectas cute, aut articulationibus et aponevroticis membranis vicinas. Obvenit igitur ad faciem, praecipue pone

---

37) *Synonyma:* Herpes farinosus, h. furfuraceus, h. simplex.

38) Minimae illae vesiculae, monente *S. Plumbe* (op. cit. pag. 193), in ipso potissimum formationis exordio, quum adhuc fluido limpido et decolori sint repletae, papularum speciem referre videntur. Unde fit, ut herpes hujusmodi vesiculis distinctus, cum impetiginibus papulosis sub *exormiarum* notis, cum *Lichene* puta, et *Prurigine*, facile confundi possit.

aures, ad mentum, supercilia, nasum, partem capillatam capitis, ad collum, pectus, cubitum, dorsum manuum, genua, interdum etiam ad utriusque sexus partes genitales. Figuram vero ille modo indefinitam, modo triangularem, saepe etiam circularem, in modum circini, prae se fert. Prorumpunt nempe in cute numerosae, minimaeque vesiculae, vel nullum ordinem servantes, vel sub triangularis aut orbicularis maculae figura. Hujus ultimae maculae, annuli seu disci 39) similitudinem habentis, margines grandioribus vesiculis obsessi, magis asperi et elevati ipso centro, brevi in desquamationem abituro, deprehenduntur. Quin imo crebro contingit, ut, quo magis ejusmodi circuli margines extendantur, eo magis medium ejus desquamari ac tandem sanum fieri incipiat. Verum aliquando enatae vesiculae in quadam corporis parte, ac praesertim ad manuum dorsum, talum vel cubitum, cinguntur macula circulari colores iridis praebente 40), ac sub forma squamarum minorum post unam alteramve hebdomadem penitus discedunt. Contra vero, quo diutius herpes uno in loco immoretur, eo grandiores enascuntur vesiculae, et lamellae, modo descripta varietate, latiores fiunt, ac dein ipsius dermatis plus minusve intensae phlogoseos patent indicia. Ejus generis impetigo lubentius invadit loca, in quibus abunde humor sebaceus, aut mucus elaboratur. Hinc aures, nasus, labia oris, perinaeum et anus communiter sedes ejus habentur. Nec membrana vaginae uteri, nec fossarum nasalium illae, interdum ab ea immunes sunt. Nonnunquam etiam evolvitur ad externa utriusque sexus organa genitalia. Prae coeteris autem huc referendus est *herpes praeputialis* seorsum a *Batemanio* 41), *Roy*-

39) Herpes furfuraceus circinatus Aliberti l. c. cit. p. 202 T. I.
40) Herpes iris. *Bateman* l. c. pag. 354. — *Marshal - Hall* Cases of peculiar eruptive disease (in The Edinb. med. and Surgic. Journal 1820).
41) Op. cit. p. 351.

stono 42), *Kechnie* 43), *Evansio* 44), et *Rayero* 45), descriptus. Eruptio haec praenunciatur vehementi pruritu et ustionis ad praeputium sensu. Dum vero pars ita adfecta examinatur, en ibi rubella macula, sex vel octo linearum diametri, deprehenditur, quae die secunda vel tertia morbi praebet ortum quinque aut sex vesiculis, diaphano fluido impletis. Praeterlapso quatuordecim vel triginta horarum spatio, vesiculae augmentum sumunt, humor earum pelluciditatem amittit, et albicantis fit coloris. Tertia vel quarta insequente die, confluunt secum modo dictae vesiculae, et cum basi inflammata quasi pustulam efformant. Quodsi impetigo in interna praeputii pagina sedem suam figat, tunc quarta vel quinta die erupta vesicula humor exit contentus, atque in unaquaque macula comparet ulcusculum marginibus paullulum elevatis et fundo albicante sive lardaceo instructum, e quo fluidum parcum turbidumque stillat, quodque cum cancro syphilitico primario facile confundi potest, et, nisi escharoticis, quibus magis irritabile et callosum evadat, tractetur remediis, ad nonam vel decimam perdurat diem. Quo vero tempore elapso, ulcusculum illud sanari jam incipit: quippe decima quarta vel decima quinta die, tegitur humida squamula sponte sese solutura, qua quidem ablata, pars pridem adfecta priori restituitur valetudini. At morbus, externam praeputii superficiem occupans, multo breviore temporis spatio curriculum suum absolvit, nullo exulcerationi loco relicto; verum enim vero quinta jam vel sexta die, fluido vesiculae exsiccato, formatur duriuscula, sicca et acuminata crusta, quae perpetuo circa nonam vel decimam diem, absque ullo praegressi mali vestigio delabitur.

---

42) Medical and physical Journal. Vol. XXIII.
43) The Edinb. medical und physical Journal. Vol. VII.
44) Pathological and practical remarks on ulceration of the gen. organs. London 1819 p. 27.
45) Dictionaire de Médecine. T. VIII. Paris 1824.

Ceterum quivis herpes copia etiam liquoris manantis efficit, ut modo siccus, modo humidus sive madidans cernatur. Quorum ille omnino fere caret humore, ideoque plane siccas gerit lamellas; hic contra ichorosum, acrem, saepe contiguas exulcerantem partes, atque interdum specifice olentem liquorem, quo humidae fiant squamae, ex sese fundit.

Tandem, pro diversa mali extensione, sede, pro loci adfecti nec non ipsius individui varia organica sensibilitate, aegrorum quoque passiones variant. In genere tamen torquet eos pruritus, seu potius ardoris et ustionis ingratus sensus. Omnia incommoda vulgo noctu, sub ipsum digestionis tempus, post epulas lautiores exercitiumque corporis, invalescunt et adeo nonnunquam exasperantur, ut cutis, invite ferme unguibus aegroti tractata, suffundatur sincero cruore. Haec autem ultima inprimis valent, morbo aut vultum, scrotum, perinaeum, anum, labiaque majora, aut universam cutis superficiem vel amplam saltem ejus partem occupante.

3. Herpes crustaceus 46), praeviis saepe cephalalgia, dyspnoea, incommodis primarum viarum 47), et febre, rheumaticae haud absimili 48), cum magno pruritu, ardore, tensione, rubore, tumoreque partis aegrotaturae, sub vesicularum, seminibus milii aut lenticulis similium forma, vel interdum sub phlyctaenarum illa, prorumpit. Vesiculae aut phlyctaenae ad basim roseae, ac serum pellucidum decolorque aut bruneum illud albicansque 48) continentes, nunc sponte, nunc inter scalpendum rumpuntur. Quo facto, humor scaturiens ut plurimum ichorosus, acer, haud raro foetens, varii coloris figuraeque crustis ansam praebet. Sunt enim vero eae albicantes, griseo - viridescentes,

---

46) *Synonyma:* Herpes miliaris, h. phlyctaenodes, h. vesicularis.

47) *J. Frank* l. c. p. 442. — *Rayer* Traité l. c. p. 228. — *Evers* in Schmucker's verm. Schriften I. B. p. 193.

48) *Pouteau* Oeuvres posthumes. I.

49) *Bateman* op. cit. p. 336 - 337.

vel, quod est frequentius, citrinae aut flavescentes, nunc glabra aequali, nunc vero scabra inaequali et quasi sulcata superficie 50) praeditae. Istae quoque crustae, varia crassitie, nunc per se ipsae existunt in cute, nunc variis in locis squamis minoribus intermixtae, nunc demum intervalla quaedam, distincta cute rubella sensilique, exhibent. Jam vero evolutae nullum protinus causant incommodum, saepius tamen pruritu intolerabili et ardore maximo stipantur; quid? quod perdurante diutius malo, pectus etiam, tubusque alimentaris varia aegritudine adficitur, corpus universum tandem extabescit, oedematosum fit 51), febrique hectica detinetur 52). Solvuntur autem crustae a cute modo facile, modo secus; in quo ultimo casu, subtus collectus humor acer vicinas partes crebro erodit, exulcerationesque et insignes molestias aegrotis procreat. Herpes vero hic per tempus diversum perstans, jam fixus, jamque serpens, quod tamen raro usu venit, aeque ac squamosus ille, in diversis locis occurrere potest, et occupat inprimis buccas, ad cantum usque oris interdum serpendo, porro frontem, alas nasi, mammas feminarum, tum superiores tum inferiores extremitates, abdomen, partes genitales; nec universo interdum corporis tegumento parcit, quam speciem vel nosmet ipsi observavimus 53).

---

50) *Alibert* l. c. p. 234.

51) *Jahn* Klinik der chronischen Krankheiten l. B. p. 581.

52) *Bonomi* et *Deferrari* in Memorie della Società medica di emulazione di Genova T. I.

53) *Observatio clinica.* Miles quadragesimum quintum vitae ingressus annum, sanorum parentum progenies, robustus, et, si a morbillis variolisque in infantia superatis recedas, nullis propemodo passionibus obnoxius ad quadragesimum aetatis annum vixit. Ab eo inde tempore, postquam militiae crebrius quam pridem operam daret, ejus graviores perferret labores, coepit jam haec jam illa pectoris mala, saepissime sua sponte evanida, iterumque revertentia experiri. Cum his itaque organorum respirationis molestiis vitam suam usque ad annum quadragesimum quartum protraxit,

Herpes rodens 54) pariter ac squamosus, quem nonnunquam sequitur, cum praevio interdum saevissimo adoritur pruritu 55). Cutis pars malum susceptura intenso suffunditur rubore, tumet, tenditur, atque adeo prurit, ut ne scalptus quidem sensum hunc compescere valeat. Paullo post epidermis, ob fluidum collectum, minime conspicua ratione elevatur, donec una, vel aliquot grandiores efformentur vesiculae. Iis quocumque modo disruptis, emissoque humore, crustis interdum diversi habitus originem praebente (brevi tamen deciduis facileque renovandis), relinquuntur parva ulcuscula; quae tem-

---

quo exeunte, ingentem crurum ac femorum tensivum pruritum, interdum ardentem, causae ipse nescius, persentire, neque ita longo interjecto tempore, innumeras, rubras maculas, plus vel minus extensas, nunc circulares, nunc difformes, secum confluentes, vel seorsum absque ullo ordine sparsas, enatas conspicere; earumque maximum pruritum, potissimum calidiore facto corpore perpeti. Paullo post, quum maculae illae, locis nuper memoratis infestae, sensim ultra progrederentur albicantisque fierent coloris, ac minimis demum laminis, furfurum simillibus, ortum praeberent; elapso tempore quodam, ad abdomen, lumbos, extremitates superiores, pectus et collum, aliae rursus prorupere maculae, interdum jam vesicularum minutissimarum speciem referentes et in desquamationem furfuraceam perpetuo abeuntes. Ejusmodi vitio integram fere cutem occupante, continuoque pruritu et secessu furfurum distincto, aeger adfectus, eoque ad novem usque menses protracto, die denique vigesima sexta Octobris proxime elapsi anni ad Institutum clinicum receptus obtulit morbum, cui *herpetis crustacei* nomen impertitum fuit. Medebamur impetigini diversis externis internisve pharmacis, quae in ejusmodi adfectione vulgo usurpantur. Horum itaque remediorum beneficio, additis insuper balneis sulphureis vaporosis in machina *Galés* praeparatis, atque ad duas septimanas diligenter continuatis, factum est, ut dermatis malum penitus exstingueretur.

54) *Synon.* Herpes estiomenus, h. noma, h. exedens, h. depascens, h. phagedaenicus, ignis sacer, papula fera, formica corrosiva, lupus vorax.

55) *J. Frank* l. c. p. 443.—*Jahn* l. c. p. 588.

poris tractu, jam ad mensem unum alterumve, jam ad plures aliquando annos circumscripto, plus minus sordido vel lardaceo fundo instructa, copiosum saepeque male olentem ichorem fundunt et augentur. Interius deinde serpit malum et, praeter cutis texturam, etiam suppositas carnes atque carthilagines exulcerat; quid? quod interdum ipsa ossa exedit 56) sub continuo ac intolerabili ustionis sensu. Quodsi, praesertim sub velociore morbi decursu, cuncta haec evolvantur, inprimis autem comitantibus ea vel ecchymomatibus, vel maculis cupreis, vel denique glandularum lymphaticarum tumoribus et callositate; tunc perpetuum ferme pervigilium aegros angit, digestionis organa ceteraeque functiones turbantur, ac habitus universi corporis tabidus efficitur. Morbo tandem magis in pejus ruente manifesta oritur febris hectica, sudores nocturni vel diarrhoea vires frangens, et pedum oedema. Verum ubi malum lento procedat passu, et non tam interius, quam in latitudinem serpat; eo in casu saepenumero reliquae systematum et organorum functiones rite absolvuntur, et morbus ad unum quasi locum redactus augustioribus circumscribi videtur limitibus. Hujusmodi autem herpetis circumcirca serpentis sedes maxime consueta habetur facies aut universa, aut quaedam ejus loca, inprimis nasus, labia oris atque mentum (mentagra). Nec tamen regio lumbalis, femora 57), vel universa corporis superficies 58), ab eo sunt immunes. Quid? quod, ne internis quidem organismi partibus, ut: cavitati aurium 59), tracheae, narium, vesicae urinariae et utero ipso 60), parcit, vel ibi-

---

56) *Klose* in Archiv der praktischen Heilkunde für Schlesien. I. B. 2. st. N. 12.

57) *Alibert* op. cit. p. 459.

58) *Horn* Archiv für prakt. Medic. 1809. Julius. — *Alibert.* *J. Frank* ll. cc.

59) *J. P. Frank* op. cit. p. 144.

60) *J. Frank* op. cit. 445.

dem sua sponte orsus, vel ab exterioribus ad interiora facta metastasi.

Monitum. 5. Quam vero supra memoravimus herpetis divisionem, eam nonnisi varios ejusdem mali gradus exhibere, vel ex his, quae sequuntur, ad auctorum 61) mentem, conjicere licet:

a) Herpetem facile ex altera in alteram sui formam transire, ac unum idemque individuum variis simul ejus speciebus laborare posse.

b) Propagationis modum et rationes, ab universi organismi legibus haud recedentes, omnibus herpetis speciebus esse easdem.

c) Suppressa quacunque herpetis specie, similes metastaticos effectus, secundum loci diversitatem irritationisque intentionem, plus minus periculosos oriri solere.

d) Methodus denique hujusmodi eruptionis tractandae constanter iisdem subjectam esse principiis; pro vario tamen intentionis et extensionis gradu, variaque mali mora, modum aliquando ei adhibendum esse.

Necroscopia. 6. Homines saltem cum herpete defuncti, ac sectionibus pathologicis subditi, monente *Aliberto* 62), cutem impetigine foedam exhibent incrassatam, gangraenosam, textum cellulosum induratum lardique flavicantis speciem referentem, tum etiam subjacentes musculos maceratos. Non desunt tamen plura partium internarum vitia, cujus generis putanda sunt: inflammatio pleurae, pulmonum; fluidum serosum aut purulentum in pectoris cavo collectum; tubi alimentaris phlogosis chronica vel exulceratio, una cum hepatis, lienis, glandularum mezaraicarum obstructione 63), et sic porro. Quae tamen novissime commemorata vitia, utrum herpetis, an aliorum morborum eidem adjunctorum effectus sint, recte dicente *Jahnio* 64), adhuc ignoratur. Itaque i-

---

61) *Lorry. J. P. Frank. Poupart. Tilesius. Barrié.* ll. cc.
62) Diction. d. sciences médicales. T. VIII. p. 63.
63) *Alibert. J. Frank,* aliique.
64) l. c. p. 596.

psam etiam cadaverum autopsiam parum, aut nil ferme, quod morbi naturam illustrare videatur, luminis afferre, fateamur necesse est.

Chemica analysis. 7. Chemica squamarum et crustarum herpeticarum analysis docuit 1º *squamas* ex albumine, mucilagine animali, muriate sodae, sulphate sodae, acido phosphorico libero, et phosphate calcis constare; 2º ex iisdem fere principiis, si ab acido phosphorico, cujus locum carbonas calcis tenet, recedas, *crustas* etiam componi 65).

§. III.

Causae. Generatim. 1. Herpes partim e peculiari quadam corporis dispositione, congenita aut acquisita, temporaria aut permanente; partim vero e variis causis, fortuitu vim suam in corpus humanum exercentibus, oritur.

Causae praedisponentes. 2. Peculiaris illa corporis dispositio, licet cujusvis aetatis hominibus communis habeatur, rarius tamen in infantibus, saepius in juvenibus, praecipue pubertatis epocham assecutis, et adultis, saepissime vero in senibus deprehenditur 66). Uterque etiam sexus ab eruptione nostra haud semper immunis est; imo feminae sub puerperii et lactationis tempus, nec non circa catameniorum cessationis epocham versantes, prae caeteris ad eam proclives existimantur 67). Idem de quavis hominum conditione est intelligendum; omnino tamen morbus, de quo agitur, lubentius urbium incolas et proceres invadit, quam rusticos et egenos 68). Idem fere de singulorum etiam hominum temperamento valet; verum tamen qui bilioso illo praediti sunt, ii multo facilius impetigine hac tentari creduntur 69).

---

65) *Alibert* l. c. p. 334.
66) *J. Frank* op. cit. p. 446.
67) *Barrié* l. p. 19-20. — *Jahn* l. c. 565.
68) *Lorry*. *J. Frank*. *Alibert*, ll. cc.
69) *Langhaus* von d. Krankh. des Hofes. — *Evers* in Schmucker's verm. Schrift. I. B. p. 193.

Sunt postremo quaedam regiones, e. g. Insubria, ubi herpetes tam crebri cernuntur, ut eos ferme endemicos esse dixeris 70). In Africa etiam occidentali frequentem esse herpetem *Vallisneri* 71) et *Lichtenstein* 72), testantur. Summam denique ad herpetem proclivitatem, quâ malum hoc ab avis ad nepotes transferatur, haud raro legibus hereditatis tribuendam esse constat 73).

Causae occasionales. 3. Quum itaque in ipso jam organismo germen mali lateat, sequitur hinc ut, accedente causa quadam, sive externa, sive interna, eaque una vel pluribus simul, fieri nequeat, quin impetigo prorumpat. Occasionem evoluturo morbo praebent, favente praecipue vernali, autumnali vel aestivo tempore 74), victus aulicus 75), esus ciborum calefacientium 76) et acrium 77), carnium sale fumoque induratarum 78), et piscium 79); abusus potus spirituosi 80), nimis activum, laboriosum, vel e contra plane sedentarium et otiosum vitae genus 81). Porro herpetem excitant cutis immundities 82); linteorum vestiumque impurorum usus diuturnus 83); irritatio cutis externa diu protracta 84); continua commora-

---

70) *J. Frank* o. c. p. 446.
71) *Racolta* di varie osservazioni spettanti all'historia medica et natur.
72) *Hufeland's* Journal d. prakt. Heilkund. XIX. B. I. st. p. 180.
73) *Tode* Soc. med. Havn. Collect. Vol. I. p. 95. — *Waton* in Journ. de Médecine 1790.
74) *Bateman* l. c. p. 226.
75) *J. Frank* l. c. p. 446.
76) *B. Bell's* Lehrbegriff der Wundarzneykunst. Leipzig 1810. T. VII. p. 688.
77) *Barrié* l. p. 22.
78) *Lorry* l. c. p. 245.
79) *B. Bell's* l. c. p. 688.
80) *Bateman* l. c.
81) *Alibert* l. c. p. 331.
82) *Poupart* l. c. p. 45.
83) Gazette de santé 1777. p. 177. — *Raiman* Handbuch d. spec. med. Pathologie uud Therapie. 2. B. p. 187.
84) *Raiman* l. c. p. 187. — *Sauvages* (Nosol. method.) a pe-

tio in pulverulenta atmosphaera 85); ignis actio protracta 86); veneris desiderium 87); fluoris albi 88), haemorrhoidum 89), menstruorum 90), lochiorum 91), diarrhoeae 92) et sudoris habitualis pedum suppressio 93); cohibita lactatio et lotium retentum 94); rheumatismi denique acuti temera et praepostera curatio adstringentium ope externe adplicitorum 95). Gravissimis autem causis accensendae sunt: viscerum abdominalium obstructio 96), ac diversae cachexiae, ut arthritis 97), scrofula 98), scorbutus 99), trichoma 100), carcinoma, et syphilis 1). Nullam tandem herpetis speciem, si venerei illam excipias, contagione vulgari, aut per insitionem aliis hominibus communicari posse, *Homei* 2), *Trampelli* 3). et *Aliberti* 4) experimenta satis superque declarant.

Causa proxima. 4. Ex symptomatum phaenomenorumque examine, nec non causarum tum disponentium, tum occasionalium disquisitione

---

riscelide et collari in feminis crebrum observavit herpetem.

85) *Barrié* l. p. 21.

86) *Alibert* l. c. p. 332.

87) Idem p. 333.

88) *Roussel* l. c. p. 55. — *Poupart* l. c. p. 47.

89) *Montégre* Traité des hémorrhoïdes. Paris 1819.

90) *Gilibert* Advers. pract. p. 26-27. — *Roussel* l. p. 55.

91) *Siebold* Handbuch d. Frauenzimmerkrankh. 1826 B. d. III.

92) *J. Frank* l. c. p. 446.

93) *Schmidtman* Anleitung zu Gründung einer Medicinalverfassung. T. I. p. 217.

94) *J. Frank* l. c. p. 447.

95) *Pouteau* oeuvres posthumes I.

96) *Jahn* l. c. p. 164. — *Tilesius* Cfr. Salzb. med. chir. Zeitung 1803. p. 18.

97) *Tilesius* l. c. p. 19.

98) *Stoll* praelect. l. p. 45.

99) *Jahn* l. c. p. 564.

100) *De la Fontaine* Chirurg. med. Abhandlung etc. Breslau 1792.

1) *Cullerier* Ueber die Lustseuche ihre Zufälle und Heilmittel. A. d. Fr. Mainz 1822. p. 81.

2) Klinische Versuche p. 469.

3) Beobachtungen und Erfahr. 1789. I. 8. p. 108.

4) l. c. p. 334

patet, herpetem in locali aut symptomatica retis vasculosi cutis, atque in desquamationem vel exulcerationem abeunte, chronica phlogosi consistere 5). Quid? quod judice *J. Frankio* 6) et *Neyburgo* 7), herpeticae illi inflammationi cum ea, quae arthritidem nonnunquam comitatur, multa communia exstant. Quam sane opinionem veram esse docent: aetas, in qua herpes plerumque contingit; classis hominum, quae illi fit praecipue obnoxia; vitae genus, quod eum excitat; anni tempestatum vis; morbi recursus saepe periodicus, et sedes inconstans; cutis ardor, materies phosphatem calcis continens ad eam colligi solita; ipsa denique curandi ratio.

§. IV.

Diagnosis. Generatim. 1. Si cuncta, quae tum sub herpetis exordio et decursu, tum sub ipso ejus exitu contingant, diligentius consideraveris, non ardua sane erit mali cognitio. Ut haec autem diagnosis certior reddatur, in censum utique vocandae sunt nonnullae cutis adfectiones, quibus cum herpete similitudo quaedam intercedit. Atqui morborum huc pertinentium, alii exprimunt herpetem, qui ubique in corpore evolvitur; alii vero eum, qui sub varia forma, singulas quasdam partes occupat. Ad priorem speciem lichen, perizema, porrigo et lepra; ad posteriorem autem zoster, erythema, tinea, ulcus venereum et cancrosum, referuntur. Sed quo facilius morbi hi ab herpete distinguantur, in praecipuos nunc singulorum characteres accuratius inquirendum esse videtur.

a) *Psoriasis* vel *lichen* 8) auctorum sistunt im-

---

5) *J. Frank* l. c. p. 447. — *Rostan* Cours de méd. clinique Paris 1826. Vol. II.

6) l. c. p. 449

7) Klinische Bemerkungen über einige chron. Krankh. Frankf. a. M. 1814.

8) Impetigo haec a cl. *J. Frankio* cum herperte confusa, praeter *Lorry*, *Willan* et *Bateman*, seorsum quoque a *Lutheritzio* (Der Arzt, als Rathsgeber in den Krankhei-

petiginem, repetito conamine erumpentem, pariter ac herpes ardentem, prurientem inque squamas abeuntem, comitantibus eam papulis rubris et complanatis, iisque aut longe a se discedentibus, aut in uno loco confertis. In quo ultimo casu multa quoque irritatio adest.

β) *Perizema* 9), inprimis criticum illud, aut in corpore universo, aut ad faciem solummodo obvium, dignoscitur efflorescentia vesicularum evidentiorum, nulla inflammatione circumcirca notatarum, quae aut late sparsae, aut in congeriem quandam collectae, aut instar phlyctidum comparentes, in desquamationem sub crustarum forma abeunt. Jam crustae illae neque durae, neque alte immissae, neque cinctae quadam duritie habentur, delapsae autem nunquam post se vel maculas vel nodulos relinquunt.

γ) *Porrigo* aut *pityriasis* 10), praebet impetiginem sub forma squamarum vel minorum vel majorum, nunc solitariarum et circumscriptarum nunc diffusarum et latarum, seorsum supercilia, frontem, mentum, manuum volas, inguina, scrotum, femora, genua, tibias, vel etiam universum corpus male habentem, sed perpetuo manifestam in cute, nullo praevio pruritu et ardore aut serius, in ulteriore jam adfectionis decursu, demum comparente; delapsa autem relinquit cutem siccam vel madidam, pallidam e luteo rubescentem, planam vel subtumidam.

δ) *Lepra squamosa* primo intuitu herpeti crustaceo haud absimilis, inter prima exordia saepissime innotescit lassitudine universa, morositate, horroribus cum calorribus, ac aestu interno, formicationis sensu inter musculos et cutem, et imprimis febre multum protracta. Insuper in morbo ulterius decurrente pulsus semper est debilis et lentus, urina jumen-

---

ten der Haut. Jlmenau 1826) et *Wilkinsonio* (Remarks on cutaneas diseases, Lond. 1822) descripta invenitur.

9) Impetigo haec a *J. P. Frank* (l. c. p. 156), et *J. Frankio* (l. c. p. 402) sub nomine *hydroa* describitur.

10) *Willan* l. c. p. 138.

tosa et turbida, transpiratio peculiari foetore stipata, atque anaesthesia. Postremo squamae vel crustae latiores sunt, magis opacae, densae et inaequales, difficilius a cute quam in herpete sese solventes.

ι) *Zoster* herpeti phlyctaenoideo squamoso et partiali compar, indeque pro hac impetigine ab *Aliberto* 11) habitus, distinguitur turba febrili perpetuisque laesae digestionis indiciis, et sub semicirculi figura, in uno tantum vel trunci, vel faciei vel membrorum latere, evolvitur.

ς') *Erythema* et quidem *gutta rosea*, ab *Aliberto* 12) itidem ad pustulosum faciei herpetem relata, differt et forma et propria sibi indole: constituit enim impetiginem ut plurimum maculosam, raro papulis, rarissime pustulis notatam; quae nec unquam serpit, nec per repetita conamina evolvitur; estque ardoris expers ac admodum raro in desquamationem abit.

ζ') *Tinea capitis* a squamoso vel crustaceo partis capillatae capitis herpete discrepat pustularum latiorum, humore viscido turgidarum, et semper ad basim irregularium evolutione; deinde squamarum vel crustarum indole peculiari, quae nimirum a manante e pustulis ichore ortae, ut plurimum madidae, crassae, et invicem secum conglutinatae, plus minusve latum efformantes stratum, difficillime a subtus posita cute solvuntur. Praeterea tinea ante pubertatis epocham maxime obvia, nunquam prorsus periodica habetur; quod tamen de herpete dici nequit.

η') *Ulcus cancrosum* ab ulcere, quod herpetem rodentem partialemque subsequitur, recte monente *Jahnio* 13), distinguitur dolore lancinante; effluvio ichoris foetidissimi; marginibus revolutis, callosis et multa fungositate obsessis; varicositate denique circa ulcus obvia. Praeterea, fundus ejus carne luxuriante et sanguinem stillante praeditus est.

---

11) Description des maladies de la peau, in fol. Paris 1806. Planche XXIV.

12) Ibidem pag. 71. Planche XXI.

13) l. c. p. 592.

δ) *Ulcus* deinde *syphiliticum primarium*, ab herpete praeputiali in eo differt, quod ejus evolutionem praecedit simplex et una tantum vesicula, praevio pruritu leviore enascens, ac brevi post sponte sese rumpens, abiensque in exulcerationem; cujus fundus est albicans vel lardaceus et difficillime abstergi potest, margines vero extuberantes, aequales, leniterque callosi. Praeterea ulcus syphiliticum in superficie sua squamas vel crustas minime agit, atque ne, apta quadam et congrua medela derelictus nunquam discedit.

Divisio herpetis. 2. Jam vero cognito herpete, eodemque ab aliis impetiginum generibus distincto, ut cura et prognosis recte institui queat, magni momenti res est scire, utrum impetigo haec *locale* quoddam et *idiopathicum*, an *symptomaticum* et *secundarium* cutis vitium constituat?

A) *Localis* et *idiopathicus* herpes dicitur, qui cum nullo alio morbo, tam praesente quam praegresso, nexum habet, quique nec in functionum exercitium, citra cutem, nullam prorsus vim exercet, nec ipse ab ulla harum functionum regitur. In genere vero, herpes localis, ab idiopathica systematis dermoidei irritatione derivandus, cum ardore minime molesto prorumpit; singulas autem quasdam corporis partes aggressus, eas constanter fere tuetur, nec latius serpit, nec huc et illuc migrat. Praeterea haec morbi species sub varia forma occurrens, inprimis autem sub squamosi et crustacei herpetis illa, aliquamdiu in uno loco commorata, interdum sua sponte discedit, nullis post se malis relictis.

B) *Symptomaticum* vel *secundarium* herpetem vocamus, qui alius mali cujusdam, ac praesertim cachectici, symptoma est aut praecipuus effectus. Ejusmodi impetiginem, praeeunte *J. Frankio* 14), scrofula, scorbutus, syphilis, plica et carcinoma procreare solent. In universum autem huius generis herpetem, sine discrimine diversas corporis sedes occu-

---

14) l. c. p. 450.

pantem, nunquam fixum sed potius repentem, sub forma crustarum vel ulcerum obvium, curatu perdifficilem, symptomata et incommoda plura eaque, pro varia morbi primarii ratione, diversissima comitantur. Itaque:

a) *Herpes scrofulosus* invadit vulgo infantes et feminas juniores, difficile menstruantes, cute candidissima et quasi pellucida praeditas, lymphaticarum glandularum tumoribus saepe obnoxias, una cum muscularis fibrae teneritate, ejusque ad motus exercendos inertia. Evolvitur autem praegressis vel ultra continuatis epistaxi, coryza crebra vel a levissimis causis oriunda, facili epidermidis ad varia loca excoriatione, intumescentia aquosa transitoria, digestione creberrime laesa, alvo inordinata, deinde abdomine duro et inflato, atque facili turba febrili. Occupat potissimum frontem, collum, humera, brachia, amplasque interdum efficit plagas, saepe exulceratas, crustis mollioribus obductas.

b) *Herpes scorbuticus*, teste *Poupartio* 15), aggreditur potissimum homines exhaustos, alimentis pejoris notae utentes, vel subjectos annonae caritati, inque obscuris, depressis, ac humidis locis vitam degentes. Frequentius prorumpit ad abdominales extremitates et faciem sub crustacei potius herpetis specie, quam sub squamosi illa. Delapsis autem crustis saepe scorbutica ulcera, sanguinem fundentia post se relinquere solet, atque creberrime cum ecchymomatica cutis maculatione, pravaque conditione oris, nec non universi corporis lassitudine et debilitate incedit.

c) *Herpes syphiliticus* infestus est hominibus inveterata lue imbutis, et licet sub quavis sui varietate omnes pariter corporis partes aggredi potest, saepius tamen eligit partes genitales; ubi sub rodentis aut crustacei humidi, nunquam vero sicci, herpetis forma proruptus, ardorem et molestos nocturnos pruritus parere solet. Jam vero syphiliticus her-

---

15) l. c. p. 83.

pes erit, si, post ulcera venerea primaria, aut pustulas partium genitalium lividas, aut bubones vel aliquamdiu prorsus neglectos vel perversa ratione tractatos, marcescente gradatim corpore atque praecedente debilitate, fugaci membrorum dolore, peculiari cutis colore, saepe etiam tussi, pectoris dolore atque symptomatibus gastricis, comparuerit impetigo vel maculas vel pustulas vel vesiculas cuprei coloris initio exhibens, brevi autem squamis vel crustis sese cooperiens, atque doloribus osteocopis, interdum etiam oris et narium exulcerationi, juncta.

d) *Herpes plicosus* saltem in Lithuania frequens, ex symptomatibus et phaenomenis trichomati propriis cognoscitur. Latentem autem plicam indicant saepissime: habitus aegri peculiaris vix verbis designandus, faciei nempe singularis aspectus, roseo ad frontem nasumque colore notatae et intuitus moestus una cum livore albugineae insolito, annuloque livido corneam circumdante; morositas; sensus formicationis in artubus, oppressionis in epigastrio, susurrusque aurium; dolores interni ossium, gravitas membrorum, maxime tempestate mutata urgens; multa in catarrhos propensio; picae ac malaciae quaedam species; facilis flatulentia; alvus tarda; urina jumentosa; transpiratio foetidissima, unguiumque corruptio. Evoluta autem hujusmodi impetigo, rodentis herpetis faciem induit, atque cutem vesicularum intermidiam, vel ulceri contiguam, ex rubro-livido suffusam colore, patefacere solet.

e) *Herpes carcinomaticus* obvenit ut plurimum apud feminas brevi jam menstrua amissuras; saepe comitatur vel subsequitur scirrhosam hepatis et lienis indurationem, aut genuinum cancrum labiorum, nasi, linguae, uteri, mammarumque. Hic autem creberrime rodens habetur, intolerandis doloribus adficit, atque praeter vesiculas non raro praebet nodulos vel tubercula facile scirrhum excipientia; stipatur etiam febri hectica, nec non aliis cachexiae carcinomaticae indiciis.

At vero expositas nunc herpetis secundarii spe-

cies, haud raro complicari secum posse, non inanis est utique opinio. „Quo in casu, *J. Franki* 16) verba sunt, herpetis natura non aliter, quam habita summa ratione constitutionis aegri, vitiorum hereditariorum, morborum praegressorum, causarum praesentium, symptomatum et effectus medicamentorum, erui potest."

§ V.

Prognosis.

Quo probabilius reddatur augurium nostrum, summam aetatis et constitutionis aegroti, diuturnitatis et vehementiae mali, ac potissimum ejus originis haberi oportet. Verum enim vero herpetem interdum parvi faciendum esse, saepe etiam pro salutari habendum, nonnunquam autem curatu difficillimum et periculosum fieri posse, docent *Poupartius* 17), *Tilesius* 18), *Chossier* 19), *Courmotte* 20) etc. Ac re vera, ubi impetigo, de qua sermo est, locale quoddam, ne extensum quidem illud aut inveteratum, ab irritamentis mechanicis vel chemicis oriundum cutis vitium constituat, nullamque prorsus in organismi functiones vim exerceat, neque ipsa ab iis regatur; statui posse arbitramur, eam, in homine alioquin sano nec aetate confecto, haud periculosam haberi debere, et ipsius naturae viribus, aut congruo artis adminiculo, facile posse debellari. De simili herpete *Hippocrates* verba facere videtur, quum ait: „Herpetes majorem secum importunt foeditatem, quam vitae periculum" 21). Quid? quod impetigo haec, si, ea comparente, antiqua quaedam mala, eaque pertinaciora cesserint, sa-

---

16) l. c. p. 450.
17) l. c. p. 239.
18) l. c. p. 64.
19) Quaestio: an herpetes in quocunque casu curandi. Monspell. 1765.
20) in Journal de Médecine. T. LXXVII. p. 54.
21) De affect. Lib. Sect. 5. pag. 85. Foes.

lutaris etiam jure meritoque putatur, nec remediis impune supprimi potest. E *Syndenhami* 22) enim, *Richardi* 23), *Astruci* 24), *Wintringhami* 25), *Poupartii* 26), *Aliberti* 27), et *J. Franki* 28) observationibus constat, pertinacem hypochondriasim, rebelle asthma, vitia uteri plura, febrimque ipsam intermittentem aliaque multa, praesertim organorum abdominalium, incommoda penitus evanuisse evoluto herpete. Non raro tamen accidit, ut morbus jam jam evanescens, mense uno alterove praeterlapso, iterum recrudescat 29). Devicta etiam impetigine interdum doloris et stuporis sensus in cute remanent 30).

Qui autem herpes jam est diuturnus 31), vel amplam cutis superficiem deturpat 32), quique hominem aetatis provectae 33), constitutionis exhaustae, aut viscerum abdominalium obstructionibus 34) laborantem invadit, qui denique hereditariis adnumerandus est potius malis, vel cum cachexia quadam, e. g. scrofula, scorbuto et sic porro complicatus incedit, is curae difficillimae esse censetur. Praeterea, infestante hoc potissimum herpete, sensim sensimque organa digestionis laeduntur, corpus contabescit, aut oedematosum fit, febrisque hectica maxime urget. Tandem, ejusmodi impetigo facile ad interiora recedit nunc sua sponte, nunc etiam praepostera qua-

---

22) Opp. cap. VI. p. 325.
23) Observ. de Méd. p. 303, 312 et 313.
24) Traité des Tumeurs I.
25) Comment. de morbis quibusdam N. 374.
26) l. c. cap. 4.
27) l. c. p. 84.
28) l. c. p. 45.
29) *J. Frank* l. c. p. 452.
30) *Heberden* (in op. cit. J. Franki pag. 452).
31) *Alibert* l. c. p. 453.
32) *Poupart* l. c. p. 239.
33) Idem ibidem. p. 121.
34) „Malignior vero est, ac longe pertinacior, cum huic adjun„gantur viscerum infarctus.“ (*Etmüller* in Dissert. cit. *Bar„rié* p. 35).

dam curatione adhibita. Qua de causa, praeviis doloribus plus minusve acerbis et vagis, turba febrili, pectoris oppressione, syncope et aliis incommodis nervosis, multa et gravia, *Poupartio* 35) auctore, mala aliquando exoriuntur. In quorum numerum *Rousselio* 36), *Tilesio* 37), *Aliberto* 38), *Weinholdio* 39) aliisque 40) referuntur: febris intermittens 41); febris nervosa 42); varia adfectio encephali, nunc acuta nunc chronica; tussis ferina; asthma; pneumonorrhagia; phthisis pulmonalis; varii organorum digestionis morbi; adfectiones nervosae multae; abdominis denique aut pectoris hydrops. Nonnumquam deinde retroactum herpetem, retentio et incontinentia urinae 43), cordis sive aortae anevrysma 44), abortus 45), vel ipsa mors 46) tandem subsequuntur.

§. VI.

Cura. Generatim.

1. Antequam herpetis cura suscipiatur, perpendamus necesse est, utrum fugasse eum profuerit nec ne? Qua in re hoc imprimis tenendum, quae impetigo insigne mali alicujus levamen comitatur aut demum chronico vel acuto morbo cessante prorumpit, eam solius naturae viribus relinquere et, si dictu fas est, venerari aut saltem, ne justo plus augeatur, prospicere satius esse; nec, nisi eam diversa prorsus indole praeditam

35) l. c. p. 115.
36) l. c. p. 55.
37) l. c. p. 64.
38) Précis theorique et prat. p. 517.
39) l. c. p. 52.
40) Mémoires de l' Academie d. sciences. 1708. p. 20. *Souville* in Journal de Méd. 1789. *J. P. Frank* l. c. p. 143. *J. Frank* l. c. p. 452.
41) *Richard.* l. c. p. 303.
42) *Tissot* Epist. ad Hallerum.
43) *Deidier* Consult. et observat. de Méd. T. III p. 80.
44) *Testa* in op. *J. Franki* l. p. 451.
45) Oper. Consil. XXVIII.
46) Nouvelle classe de maladies. pag. 281.

animaduerteris, ad artis auxilium esse recurrendum. Quod ut opportune feratur, indagare oportet 1°, utrum herpes *locale* cutis malum constituat, an *symptomaticum?* Num *recens* sit, an *inveteratus?* 2° diligentissime considerare, utrum *interna* pharmaca, an *externa*, vel *utraque simul* adhibere praestet? Haec autem remedia tam multa et varia ab auctoribus commendantur, ut, si ex ingenti eorum numero quidquam de felici mali alicujus exitu judicare liceret, herpetis quidem curam nunquam prospero eventu carere posse statuendum fuerit.

Remedia interna. 2. Usui interno optime inservire putantur pharmaca jam nunc nobis recensenda. *Sulphur* 47), in quocunque herpete usurpari potest, nisi homines viro syphilitico imbutos, debili pulmone ac systemate nervoso praeter modum sensili praeditos excipias. Adhibitis remedii hujus, sive sub *florum sulphuris* forma, sive sub *lactis* illa, primis dosibus, interdum quidem initio impetiginem augeri, paullo tamen post imminui *J. Frank* 48) et *Alibert* 49) monuere. Simili cum virtute usurpatur *antimonium* sic dictum *crudum* 50), *calx stibii sulphurata* 51), *sulphur auratum antimonii* 52), aliaque id genus; quae omnia, ob sulphuris tamen in quibusdam praeparatis copiam non exiguam admodum caute adhibenda, efficacissima in herpete scrofuloso praebent remedia. *Mercurius* sub debita rebusque accommodata forma sumptus, unicum in curando herpete syphilitico constituit auxilium. Dantur tamen casus, ubi hydrargyrus etiam in herpete ab aliis causis profecto salutaris esse queat. Sic *Bay-*

---

47) *P. Aeginetta* Lib. IV. Cap. 2. *Baldinger* N. Magaz. XI. B. p. 223. *Bell* Auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte. XI. B. p. 5. *Stoll* praelec. p. 288. *Poupart* l. c. aliique.
48) l. c. p. 338.
49) l. c. p. 453.
50) *Hufeland* Von der Scrofelkrankh. p. 171.
51) *Hufeland's* Journal d. prakt. Heilk. 4. B. p. 42.
52) *J. P. Frank* l. c. p. 152.

lies 53), *Evers* 54), *Hosty* 55), *Tode* 56), *Cotton* 57), *Alibert* 58), rebelles ejusmodi morbos *mercurio sublimato* aliquoties curavere. *Home* 59) et *Menuret* 60) *calomel* cum optimo successu usi sunt; nos vero *aethiope antimoniali* in Instituto clinico medico squamosum herpetem superavimus 61). Neque *purgantia* quoque remedia in curando herpete sine magno usu

---

53) Pract. Essays v. Ans. Abhandl. für prakt. Aerzte I. B. 2. St. p. 86.
54) In *Schmucker's* verm. Schrift. II. B. p. 160.
55) Dissert. an herpeti non venereo sublimatus corrosivus? v. *Balding*. Syllog. VI.
56) In Med. chir. Bibl. II. B. p. 160.
57) Diss. an herpeti non venereo subl. corros.?
58) l. c. p. 353.
59) Kliuische versuche. p. 482.
60) Journal de Médecine. T. D. p. 340.
61) *Observatio clinica:* Agricola quinquagesimum sextum vitae annum agens, e plicosa stirpe oriundus, robustus, liquoribus spirituosis nimium indulgens, infans adhuc morbillos, juvenis variolas, vir denique febrem rheumaticam naturae viribus, et intermittentem tertianam domesticis ac praecipue amaris fugatam remediis, passus est. Jam quinquagenarius nyctalopiae incommodis turbari coepit. Ea tamen, sine ullo artis medicae adminiculo, post tres demum annos sublata, omnino sanus vixit ac inter consuetos rusticos labores, aetatis annum quinquagesimum sextum ingressus est. Quo tempore accidit, ut, praevio intenso pruritu et ardore, maculae circulares, rubrae, congregatae vel confluentes parvulis vesiculis obsessae, in cruribus apparuerint. Paullo post cutis adfecta albescere, lamellisque albidis tegi coepit. Dum itaque solutas crurum squamas aliae iterum subsequuntur et pruritus atque ardoris sensus, sub lecti tepore aut immodico aquae vitae usu, indies magis invalescunt aegrumque molestant; ceterae quoque tegumenti partes, femora puta, abdomen, lumbi, pectus, artus superiores, ne facie quidem ipsa capitisque capillata parte excepta, sensim morbi participes fiunt. Quum igitur plura medicamina, domi a vetulis proposita, sine ullo mali levamine expertus esset, aeger ad clinicum institutum medicum receptus sub examine obtulit cutem universam, si pedum plantas et manuum palmas excipias, squamis siccis, glabris, non admodum crassis, tectam. Squamae autem istae, quarum aliae albicantis, aliae cinerei coloris erant, modo facilius

fuisse *Thom* 62) et *Gilibert* 63) testantur. Effectu quoque non carent aliquando *acida*, praesertim *sulphuricum* 64), *muriaticum* 65), et *nitricum* 66). *Graphitem*, tanquam specificum, *Weinhold* 67) commendat, illudque remedium efficax esse *Hornius* 68) probavit. *Stipites* etiam *solani dulcamarae* sub decocti vel extracti forma, cum magno successu in herpete adhiberi *Althoff* 69), *De la Gressie* 70). *Rahn* 71), *Garn* 72), *Razoux* 73). *Waton* 74), *Fages* 75) aliique observarunt. Neque *rhoïs radicantis* infusum, aqua destillata, et extractum parvi facienda sunt; quae praeperata *Dufrésnois* 76), *Hufeland* 77), et *Bar-*

---

modo aegre a loco suo divellebantur et in aliis locis, ut in parte capitis capillata, junctae corii speciem referebant, in aliis vero maculas segregatas, halone interdum rubella cinctas efficiebant. Praeter cutem reliquae organismi functiones, ut in sano homine, rite absolvebantur. Foedam hanc eruptionem *herpetis squamosi* nomine apellavimus. Ordinavimus autem *aethiopis antimonialis* grana duo ad quinque, ter de die sumenda, subjunctis balneis sulphureis, et decocto sarsaparillae. Sub morbi finem, sublimati etiam levi solutione caput saepius ablui jussimus. In his aeger duorum et quod excurrit mensium spatio continuatus, morboque plane liberatus clinicum reliquit.

62) Advers. pract. pr. p. 28.

63) In Mémoires de la Societé Royale de Méd. T. VIII.

64) *Home* Klin. Versuche. p. 488. *Mursinna* Journal für die Chirur. 1. B. p. 476.

65) *J. Frank* l. c. p. 454 *Lentin* Beyträge p. 238. *Lichtenstein* in Hufeland's Journal. XIX. B. I. St. p. 18.

66) *Evers* in Schmucker's vermischten. Schriften. I. B. p. 193.

67) Op. cit. p. 93.

68) Archiv für med. Erfahr. VI. B. p. 306.

69) Prakt. Bemerk. über einige Arzneim. 1. B. 1791.

70) In Journal d. Méd. T. LXIII p. 271.

71) Med. Brief. 1. B. p. 399.

72) Krankengeschichte. p. 113.

73) In Journal de Médecine. T. XXII. p. 256.

74) In Journal de Méd. T. LXXXIII. p. 342.

75) Recueil periodique. T. VI. p. 161.

76) Des proprietés de la plante appellée Rhus radicans. Paris 1788.

77) N. Annalen. I. p. 388.

rié 78) admodum efficacia in herpetis jam inveterati cura, invenere. Sed ne forte credas, praeter commemorata nunc remedia, nulla jam prorsus medendo herpeti idonea exstare, monendum adhuc censui, si praestantioribus illis frustra usus fueris, plura etiam alia vario successu posse usurpari. Haec autem habentur: *conium maculatum* 79), *cortex ulmi campestris* 80), *radices sarsaparillae* 81), *bardanae* 82), *cortex et lignum sassafras* 83), *lignum guajaci* 84), *herba violae tricoloris* 85), *pulsatillae* 86), *trifolii fibrini* 87), *fumariae* 88), *cortex mezerei* 89), *nux juglandis* 90), *inulaque helenium* 91), *etc.* Herpetem denique a diethesi scorbutica, scrofulosa, plicosa aliisque oriundum, iis etiam remediis, quae cachexias istas radicitus tollere aut saltem noxios earum effectus arcere posse videantur, curari debere nemo certe inficias ibit, quicunque considerare voluerit ejusmodi impetiginem non primarium, sed symptomaticum esse malum. Idem quoque de herpete ab organorum, abdominis cavo inclusorum, vitiis profecto intelligi debet. Quam ob rem, praeter victum congrum, nunc ad resolventia vel purgantia, nunc ad

---

78) l. c. p. 41.

79) *Locher* Observ. pract. p. 5. — *Valentin* in Medical reposit. Vol. VI. N. 4 Art. 5. — *Waton* in Hufeland's N. Annalen l. p. 64. — *Fouquet* in *Gardane* Gazette p. 115.

80) *Home* Klin. Versuche p. 475. — N. Act. N. Cur. Vol. VIII. Obs. 28. — *Akermann* in *Bald.* N. Magazin VIII. B. p. 161.

81) *Home* l. c. p. 481.

82) *Chambon de Montaux* Observ. clin. Paris 1789.

83) *Hufeland.* Journal d. prakt. Arzneik. II. Bd. p. 188.

84) *Bell.* Abhandl. von Geschw.

85) *Haase* Dissert. de viola tricolori v. Aus. Abhandl. für prakt. Aerzte VIII. p. 328.

86) Journal de Médecine. T. LVIII. p. 416.

87) Gazette de Santé 1770 p. 160.

88) *Menuret* Journal de Méd. T. L. — *Poupart* l. c.

89) *Rouch* in Journal de Méd. T. LXXVIII. p. 221.

90) *Ritter* in Hufeland's Journal d. prakt. Heilk. VII. B. 3. St. p 76—77.

91) *Knackstedt* Med. chirurg. Bemerkungen. N. 1. 6. 99.

amara sive aromatica, nunc demum ad diuretica, pro diverso rerum statu, confugiendum erit.

Remedia externa. 3. Quum herpes recens habeatur, et nonnisi cutis ipsius constituat malum, quumque vigentis phlogoseos adfecti loci, aut saltem turgoris vasorum sanguiferorum pateant indicia; antequam ad alia remedia topica accedamus, cruoris depletionem hirudinum aut, si paris id ferat, cucurbitularum scarificantium ope, institui oportet. Qua peracta, vel nullis prorsus, quae eam requirant, exstantibus indiciis, emollientia quaedam, ut: *oleum olivarum, butyrum recens insulsum, decoctum malvae rotundifoliae, decoctum amyli vel seminum lini* illud, parti male adfectae applicanda curamus. Saepe enim fit, ut adhibitis simplicissimis his remediis mali vis frangatur, aut morbi focus plane tollatur 92). In eodem rerum statu, balnea etiam tepida simplicia, vel cum mucilaginosis parata plurimis profuisse legimus 93). Sed si morbus inveteratus est, fortiora tunc remedia prioribus illis subjungenda sunt. Priusquam tamen ea in usum ducantur, praesidii gratia, monente *JP. Frankio* 94), in partis adfectae viciniis, dummodo pro loci natura id fieri liceat, fonticulus 95), aut aliud ulcus artificiale 96) praemittatur oportet. Quo facto aut omisso, primum diversorum balneorum effectus tentandus est. Sunt vero ea vel marina 97), vel mineralia ex fonte ipso, v. g. *Aquisgrani* 98), *Wiesbaden* 99), *Baden* 100), *Nenndorf* 1),

---

92) *J. Frank* l. c. p. 456.
93) *Alibert* l. c. p. 365.
94) l. c. p. 153.
95) *Dreyssig* in Hufeland's Journal d. prakt. Heilkunde XVII. B. 3. St. p. 126.
96) *Waton* in Journal de Médecine. T. LXXXIII. p. 342.
97) *J. P. Frank* de curandis hom. morb. epit. T. IV. p. 155.
98) *Meyer* Aachen und seine Umgebungen. Essen 1818.
99) *Ritter* in Hufeland's Journal d. prakt. Heilk. VII. Bd. 3. St. p. 74.
100) *Schenk* Abhandlung über die Bäder d. Stadt Baden. Wien 1791.
1) *Waitz* in Hufeland's Journal d. prakt. Heilk. XXIV. Bd. 4. St. p. 32.

Landek 2), et in nostra regione licet frigida *Smordon*, *Widze*, et *Baldohn* 3). Artificialia autem balnea humida, et cum herbis narcoticis parata, in herpete inveterato, extremitates inferiores detinente, ac hominibus exhaustis et scorbuticis infesto, nunquam sunt negligenda. Saepissime etiam, in pertinaciori videlicet malo, ad iteratum balnei sulphurei *humidi* 4), aut vaporosi 5) usum, nisi syphilitica mali indoles obstet, confugimus. Praeterea *Alibertus* 6) haud raro rebelles superabat herpetes aqua sulphurica parti adfectae saepius infusa: quam curae speciem, vocabulo e gallica lingua deprompto, quamvis latinitate haud donato, *embrocationem* medici appellarunt. Ipsae quoque partis morbo prehensae lotiones et fomentationes, dummodo proprietati ipsius cutis adcommodentur, non postremum interdum sibi vindicant locum. Quarum potiores hoc loco memoramus, ut lotionem *aquae* sic dictae *mineralis artificialis de Barèges* 7), *aquae simplicis solitae* 8), *aceti fortis* 9) vetustioribus jam medicis haud ignoti remedii 10), institutam, et usum externum *succi citri* 11), *salivae* 12), *et aquarum aromaticarum* 13), *ut lavendulae*, *melissae* etc. Insuper, ad curandum

---

2) *Mogalla* die Bäder bey *Landek*. Breslau 1788.

3) *Ekhof's* Beschreibung d. Baldonisch. Mineralwassers. Mietau 1795.

4) E. g. Unciae duae hydrosulphureti potassae prius in aqua fervida solvuntur, ac dein balneo superadduntur. (*J. Frank*, l. c. p. 62).

5) *Galés* Mémoires et rapports sur les fumigations sulfur. Paris 1818.

6) Op. cit. §. 308.

7) *Alibert* l. c. p. 372. ubi auctor ejusmodi aquae et exhibendi et componendi indicat modum.

8) Eph. natur. cur. Dec. III. An. VII. et VIII. Obs. 68.

9) *J. P. Frank* l. c. p. 155.

10) *Alex. Trallianus* de Arte med. Lib. I. c. 9.

11) *Sonnerat* Reisen nach Ostindien l. p. 101.

12) Ephem. natur. cur. Dec. II. An. I. Obs. 2. — *Helwig* Observ. N. 38. Schol. — *Riedlin* Lineam. med. 1697. Aug. Obs. 17—1699. Mart. Obs. 31.

13) *Alibert* l. c. p. 370.

herpetem, alia etiam admovenda auxilia exstant proposita, quae, nunc irritante aut adstringente, nunc narcotica aut caustica, nunc vix determinata pollent virtute. In eorum numero, quibus cutis adfecta illinitur, inprimis eminent: *unguentum e floribus sulphuris* 14); ubi vero herpes inveteratus habeatur, *unguentum* ex *hepate sulphuris* cum *axungia* vel *cerato simplici* 15); *acidum nitricum* cum *axungia* 16); *graphites plumbago* cum *eodem vehiculo* 17); ac, praecipue in herpete indolis syphiliticae, *unguentum mercuriale album* vel *citrinum* 18). Nonnuli deinde auctores adseverant, salutare fuisse *ceratum nicotianae tabaci* 19), *decoctum corticis nucum juglandium viridis* 20), *aquam calcis* cum *acido citri* 21), *oleum animale Dippelii* 22), *cajeput* 23), *magnesium* 24), *cuprum* 25), *ammoniam* 26), *barytam muriaticam* 27), et *tincturam cantharidum* 28). Nec *vesicatorium* plagae herpeticae, si faciem excipias, impositum 29), aut, potissime sub

14) *Poupart* l. c. p. 202.
15) *Alibert* op. cit. p. 372.
16) *Leschen* in *Loder's* Journal für d.Chir. 2. B. I. St. p. 179.
17) *Weinhold* l. c. — *Horn* Archiv. für med. Erfahr. 1811 p. 91.
18) *J. P. Frank* l. c. p. 154.
91) Eph. natur. cur. Dec. I. An. IV. et V. App. p. 27.
20) *Hufeland's* Journal d. prakt. Heilk. X. B. 4. St. p. 143.
21) Salzb. med. chir. Zeitung. 1802. I. Bd. p. 407.
22) *Wise* in *Duncan's* Annal. Vol. V. p. 479.
23) *Rudolphi* Schwed. Annalen. I. St. p. 180.
24) *Sylvy* in *Hufeland's* und *Schreger's* Journal d. Ausl. med. Lit. 1802. p. 479. (in unguento).
25) *Dessault* Journal de Chirurgie. T. III. (viride aeris dilutum).
26) *Martinet* in Auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte. VI. B. p. 324.
27) *Arnemann* Annalen d. Klin. Inst. I. Heft. — *Werfel* in *Hufeland's* Journal d. prakt. Heilkunde. VII. B. 3 St. p. 173.
28) *Home* Klin. Versuche. p. 471.
29) *Richter* Chir. Bibliot. III. B. p. 289. — *Bloch* Med. Bemerkungen. p. 97.

ipso mali exordio, in loci adfecti viciniis cuti sanae adplicitum 30), optato interdum caruit effectu. *Extractum plumbi liquidum* cum *aqua remixtum* 31), vel *ungnentum saturninum* 32) comendatur. Cum hoc tamen ultimo pharmaco, ut recte *Lorry* 33) monet, caute incedendum est, ne impetigo interiores corporis partes petat. In herpete tandem rodente, et indolem carcinomaticam prae se ferente, nonnulli egregiam vim *arsenico* tribuunt 34); quod tamen remedium, ob causas, quas unicuique facile suspicari licet, *J. Frankius* 35) in hoc casu vix admittendum esse putat, inque ejus locum, ut aliquid fecisse videamur, *pulverem carbonum*, *herbam conii maculati*, *hyosciami nigri* et *solani nigri* in usum duci jubet.

Cura retrocessi herpetis.

4. Haec itaque in genere est herpetis curatio. Quae autem varii generis auxilia hic percensuimus, alia externe, alia interne, alia seorsum, alia jugiter adhibenda, ex his primo quidem leviora, deinde vero fortiora seligantur oportet. Simulac vero morbus retrocesserit, aut, manente adhuc herpete in cutis superficie, interna quaedam adfectio orta fuerit; omnibus tunc remediis omnino erit abstinendum, et quam primum ad methodum antiphlogisticam, aut revulsivam confugiendum. Methodus quidem antiphlogistica valebit in acutiore quodam morbo herpetem retropulsum subsecuto; revulsivam vero, quae in cutis pridem maculatae irritatione promovenda et in systemate dermoideo, uropoëtico, vel nervoso ad artis legem excitando unice posita est, in plerisque adfectionibus chronicis adhibebis.

---

30) *S. Plumbe* op. cit. p. 201.
31) *Goulard* Chir. Werke p. 178 — 259. — *Tode* Med. chir. Bibl. III. p. 186.
32) *Theden* Unterricht für Wundärzte.
33) Op. cit. p. 341.
34) *Adair* in Comment. von Edinburgh. 9. B. p. 55.
35) Op. cit. pag. 459.

THESES.

I.

Pseudosyphilidem auctorum et inter syphilidem genuinam, nullum ferme dari discrimen opinamur.

II.

Acarum exulcerantem Linnaei, neutiquam causam scabiei sistere, compertum habemus.

III.

Non omnia quae cuti topica admoventur remedia effectum duntaxat localem exercent.

IV.

Entozoa in ipso animalium corpore potius nasci, quam extrinsecus inferri, probabilior est utique opinio.

V.

Exploratio multo certiora calculi in vesica urinaria latentis suppeditat indicia, quam quae ab aegrorum passionibus petuntur.

VI.

Extirpatio ovarii raro adhiberi posse videtur.

SPECIMEN
INAUGURALE MEDICO-PRACTICUM
FREQUENTIORES
CORDIS MORBOS
IN INSTITUTO CLINICO
VILNENSI OBSERVATOS
EXHIBENS.

QUOD

ANNUENTE INCLYTO MEDICORUM ORDINE

IN

CAESAREA LITTERARUM UNIVERSITATE
VILNENSI.

AD

CONSEQUENDA DOCTORIS MEDICINAE
JURA ET HONORES

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CASIMIRUS BOLESLAUS DOBROWOLSKI

PODOLIENSIS

MEDICINAE MAGISTER

ANNO MDCCCXXVIII. M. JUNIO.

VILNAE.

TYPIS N. GLÜCKSBERGII UNIVERSIT. TYPOGRAPHI.

Wolno drukować. Wilno 19 Czerwca 1828 r.

A. Powstański Prez. Kom. Cenz. Wilen.
Radca Kolleg. i Kler.

Nulla est alia pro certo noscendi via, nisi quam plurimas et morborum et dissectionum historias, tum aliorum, tum proprias, collectas habere, et inter se comparare. Morgagni. De sedib. et caus. morb. Libr. IV. prooem.

PROOEMIUM.

Inter morbos a veteribus cognitos et descriptos; sola fere cordis vitia, nec satis perspecta, nec, ut par est, exposita fuisse videntur: adeo ut, serioribus demum temporibus et hac nostra aetate, gravissimae huic artis salutaris parti melior fortuna affulsisse putanda sit. Quam laudem eximiam inprimis SENACIUS 1), CORVISARTIUS 2), ALLAN BURNS 3), TE-

1) Traité de la structure du coeur, de son action et de ses maladies. Paris 1749.

2) Essai sur les maladies et les lésions organiques du coeur et des gros vaisseaux. Paris. 1806 et 1811. Edit emend. et aucta.

3) Von einigen d. wichtigsten und häuf: Herzkrankheiten. a. d. Engl. v. *Nasse*. Lemgo 1813.

sta 4), J. Warrenus 5), Kreysigius 6), Laennecius 7), Bertinius 8), aliique plures, infra suo loco nobis memorandi, jure meritoque sibi vindicant. Horum itaque virorum vestigiis insistens, quas cordis adfectiones in Clinico Instituto Vilnensi ipse vidi et quarum historias in ejusdem Instituti actis consignatas legendi copiam habui, earum praecipuas aut saltem genus humanum crebrius infestare solitas, pro temporis et virium mearum ratione, nec non pro scriptionis inauguralis natura ac indole, breviter exponere mecum constitui.

DE PERICARDITIDE.

Pericarditidis nomine intelligimus morbum sive chronicum sive acutum, e cordis ipsius et sacci organon istud in se continentis inflammatione ortum, quem varii generis turbae, cùm in sanguinis circuitu, tùm, in respirationis functione potissimum observandae, ut: febris, cordis motus abnormis, lipothymiae, pulsus inaequalis, frequentior, anxietas, dyspnoea et tussis comitari solent.

Ex Instituti quidem Clinici actis, non solum

4) Ueber die Krankheiten des Herzens a. d. Ital. v. *K. Sprengel*. Hal. 1813.

5) Cases of org. diseases of the heart. Boston 1809.

6) Die Krankheiten d. Herzens systematisch bearbeitet u. durch eigne Beobachtungen erläutert. Berlin 1814 — 1817. 3. Theile.

7) De l'auscultation médiate. Paris 1819. T. II. sect. 2.

8) Traité des maladies du coeur et des gros vaisseaux rédigé par *J. Bouillaud* avec 6. planches. Paris 1824.

homines robustissimos ac sanissimos, sed etiam feminam anno 1809 viscerum abdominalium obstructionibus laborantem, anno autem 1819 senem quemdam exhaustum, pericarditide implicitos fuisse colligimus. Omnino tamen, qui antea jam cordis aut pulmonum adfectione quadam tentati fuerint, morbo huic unanimi auctorum consensu prae ceteris obnoxii habentur. Mali autem, de quo agimus, variae causae excitantes possunt assignari. In duobus enim aegris, quorum historias in actis Instituti Clinici legimus, nimius in ponderibus levandis gestandisque nisus, in tribus aliis deprimentia animi pathemata, ante duos denique annos in femina quadam, ac nuper in juvene, quorum aegrorum uterque auxilii quaerendi causa Clinicum medicum adierat, frigus aestuante corpore exceptum pericarditidi originem praebuere. Quam tamen alii, ut SENAC 9), METZGER 10) et OGLE 11) a vi etiam externe illata, alii vero ut MECKEL 12), PORTAL 13), KREYSIG 14) et JOSEPH. FRANK 15) ab arthritide retropulsa, exanthematibus et impetiginibus quibusvis praepostere fugatis oriri posse testantur. Ipsam denique peculiarem anni constitutionem inter pericar-

9) l. c. Cap. 7. T. II.
10) Dissertatio de lethalitate vulnerum cordis, Regiom. 1799.
11) Abhandlung der Londner med. Gesellsch. 1. B. p. 71.
12) In Mémoires de l'académie de Berlin 1755. p. 81.
13) Cours d'anatomie médicale. T. III. p. 92.
14) l. c. 2. Th. p. 151.
15) Praxeos medicae universae praecepta Partis II V. II. Sect II. p. 157.

ditidis causas referri debere TRECOURTIUS 16) observavit.

Ceterum morbus hic, si a femina, cujus mentionem supra jam fecimus, recedas, omnes fere aegros invasit cum horrore et corporis calore magno, cui mox successere multi corporis sudores calidi aut artuum dolores rheumatici. Symptomatum vero adfectionem illam indicantium, et nunc simul nunc singillatim comparentium, praecipua haec erant: dolor sub sterno aut ad thoracis latus laevum, modo gravativus et terebrans, modo acutus et punctorius, fere semper aestuans, nec sub inspiratione profunda neque sub musculorum thoracis motu augescens, non raro ad latus sinistrum colli, ad scapulam sinistram, ad brachium ex eodem quoque latere exporrectus; decubitus modo in utrumque latus, modo in alterutrum tantum, maxime autem in dextrum illud concessus: resupinum etiam decubitum solum fuisse, quem mulier toties nobis memorata ferre posset, ipsi vidimus; deinde dyspnoea potius per angorem e regione cordis prodeuntem, quam per motum thoracis manifesta, aliquando tamen anhela et suspiriosa, quam bis observavimus; tussis sicca haud raro per insultus a corporis motu excitatos rediens; cordis palpitatio vehemens, saepius cum vibratione, oscillatione venarum jugularium et pulsatione epigastrii juncta; anxietas vix verbis designanda; instantis animi deliquii sensus, vel vera li-

16) Chirurgische Abhandlungen und Wahrnehmungen a. d. Fr. übers. Leipzig 1777.

pothymia; pulsus denique durus, nonnunquam irregularis. In nonnullis aegrotantibus non deerant etiam, quae sequuntur: suffocationis sensus, quaedam oculorum obnubilatio, vultus luridus multumque immutatus, sputa cruenta, morositas demum conspicua et vomitus aut saltem nausea, aliaque dyspeptica symptomata. Anno etiam 1826 semel nobis contigit feminam pericarditide laborantem stethoscopii auxilio explorare, atque reapse sub cordis motu, praesertim sub ventriculorum contractione, audivimus rumorem illum peculiarem, quem Collin 17) cum corii recentis, manu tractati, illo comparat. Thorax autem ad methodum Auenbruggeri percussus ubique clare resonabat excepta solum cordis regione. Sed quae praeterea morbi hujus indicia memorantur; ut: faciei et extremitatum oedema 18), convulsiones 19), vox rauca 20), dysphagia 21), corporis livor 22) et haemorrhagiae 23), ea quidem nec ipsi observavimus, nec in Clinico nostro unquam observata fuisse invenimus.

Jam vero pericarditis symptomatibus supra re-

17) Sur les diverses méthodes d'exploration de la poitrine. Paris 1824.

18) *Bertin* l. c. p. 270.

19) *Trécourt* l. c. *Davis* über die Herzentzündung. a. d. Engl. Halle 1816. p. 63.

20) *Portal* Mémoires de l'académie des sciences a. 1780. p. 333.

21) *Testa*. l. c. p. 237 — 241.

22) *Wall* in Trans. of a soc. of improv. of med.] and chir. knowl. vol. 3.

23) *Kreysig* l. c. 1. Th. p. 374.

censitis distincta, duarum circiter hebdomadum spatio curriculum suum absolvit, et modo aegrum continuo vexat, modo quasdam accessiones habet. Accessiones autem hae insigniuntur: vehementiore cordis palpitatione, majore dyspnoea, aut saltem suspiriis altioribus, non raro etiam tussi fere convulsiva, acerbiore anxietate, facie contorta lividaque, pulsu denique frequentissimo et irregulari, quae omnia aut syncope aut subita debilitate finiri solent. Quos aegros in Clinico nostro aut ipsi tractavimus aut ab aliis tractatos vidimus, ii omnes remittente morbi vi ad pristinam valetudinem redierunt; in nonnullis tamen remanserat cordis palpitatio, quam ab aucta plexus cardiaci sensibilitate repetendam esse arbitramur. Morbi autem per criticam aliquam perturbationem, praecipue per conspicuas narium, uteri et ani haemorrhagias, aut per sudorem universalem finiti nullam observationem invenimus. Neque etiam exstant apud nos pericarditidis curatae specimina, quam, orto pericardii acuto hydrope purulento vel gangraena, subita mors exceperit, aut quae posthumis quibusdam vitiis, ut: cordis dilatationi, concretioni cordis cum pericardio, cordis ossificationi aliisque originem dederit.

Signa e sectis cadaveribus petita, pericarditidis diagnosin confirmatura, haec censentur: lymphae coagulabilis in pericardium exsudatio 24), cordis

24) *Morgagni* Epist. XX. 57. *Baillie* Series of engravings etc. Fasc. 1. comprehending the chief morbid appearences of the heart and of the aorta near its origin. Tabl. 1. fig. 2.

cum pericardio concretio 25), cordis suppuratio 26) et exulceratio 27), ejusdem denique substantiae rubor insolitus 28), induratio 29) et gangraena 30). Cuncta haec sane in aegris nostris observandi copiam non habuimus; non tamen inde coniicere licet, sententiam de morbi sede et natura a nobis latam prorsus falsam fuisse: symptomata enim, quae a gravissimis auctoribus, ceu: KREYSIGIO 31), CORVISARTIO 32), ALLAN-BURNSIO 33), DAVISIO 34), STANLEYO 35), DORNIO 36), aliisque 37), tanquam ge-

Soemmering Anmerk. zu *Baillie* Anmerk. 1. *Corvisart* l. c. p. 45. *Testa* l. c. p. 263. *Laennec* l. c. p. 392.

25) *Pfann* Samml. verschied. merkwürdiger Fälle 1750. p. 154. *Chambon de Montaux* Merkwürdige Krankengesch. und Leichenöfnungen. p. 548. *Wall* l. c. p. 373. *Sander* in *Hufeland's* Journal d. pr. Heilk. 1820. Nov. p. 19. et alii

26) *Bell* Zerglieder. des menschl. Körpers 1. B. p. 191. *Trécourt* l. c. p. 30.

27) *Plater* T. III. cap. V. *Schmiedel* Diss. de exulceratione pericardii et cordis. Jenae 1742. *Stoerk* Ann. med. II. p. 235. *Meckel.* l. c. p. 31.

28) *Davis* l. c. p. 62.

29) *Morgagni* Epi. XXI. 4. *Lieutaud* Hist. anat. medica. Paris 1767. Lib. II. Sect. 2. obs. 544.

30) *Lieutaud* l. c. T. II. p. 168. obs. 539. *Stoerk.* l. c. p. 262.

31) l. c. 2. Th. 1. Abth. 2. Absch. p. 67.

32) l. c. Prèmiere classe chap. 1. p. 6 — 24. Quatrième classe. Art. premier p. 236 — 251.

33) l. c. p. 67.

34) l. c. p. 46. sqq.

35) In Medico-Chir. Transact. Vol. VII. P. II. art. 2.

36) Beytrag. zur Diagnostik der Herzentzündung in *Hufeland's* Journal d. pr. Heilk. 1822. Januar. p. 49.

37) *Nunn* Diss. de carditide spontanea Erford. 1788. *Hertzberg* Diss. de carditide Hal. 1817 et *Petrenz* Diss. pericarditidis pathologia. Lipsiae 1822.

nuina in hoc morbo habentur, aderant omnia. Ceterum cujus pericarditidis exempla aut ipsi vidimus, aut in Actis Clinicis descripta legimus, eam fere semper *acutam* fuisse, quùm praeceps morbi decursus, tum symptomatum vehementia, eorum forma et varia turba febrilis, satis superque declarant. Verum praeter hanc acutam alia adhuc *pericarditis chronica* exstat, cujus symptomata judice Reedero 38) haec sunt: febris levissima; pulsus exilis, celer et inordinatus; manu regionem cordis attrectante peculiaris quidem sensus percipitur; palpitatio nulla; in thoracis quidem regione dolor nullus aut saltem parvus, at in quacunque abdominis parte, saepissime autem in epigastrio et hypogastrio idem plus minusve acutus, in quo ultimo casu ischuria etiam urgere solet. Interdum quoque, inprimis in morbo iam inveterato, in regione epigastrica pulsatio adest et quaedam hydropis indicia, respiratio fit gravis et cita; vultus tumidus et moestus; in pectoris cavo vel sub minimo motu, fluctuationis profundae sensus; oppressio in regione cardiaca; thorace ad locum cordi respondentem percusso, sonus editur obscurus; cordis pulsus initio conspicuus, sensim sensimque debilior fit; donec in simplicem transeat rumorem; anasarca demum comparet et aeger sine magnis molestiis in planum porrigi nequit. Cuncta haec autem mortis iam appropinquantis indubitata signa habentur.

38) A practical Treatise on the inflammatory organic and sympatic diseases of the heart. Lond. 1821.

Utramque hanc pericarditidis speciem, facili negotio cognoscendam, auctorum nonnulli, conjectura potius quam experientia freti, pro diversa interdum morbi sede, dividunt: 1) *in pericarditidem veram*, seu, *ipsius pericardii inflammationem;* 2) *in carditidem genuinam*, seu, *cordis substantiae inflammationem;* 3) denique *in cavitatum cordis inflammationem*, seu, sic dictam *carditidem polyposam. Pericardii inflammationem* seu, ut SAUVAGESIUS 39) eam nuncupat, *pleuritidem pericardii*, adesse arbitrantur; si morbus sub pleuritidis forma comparet, comitantibus eum dolore sub sterno, inconsueta anxietate et jactatione, facie a statu sano valde aberrante, gena sinistra rubente, pulsu vacillante, irregulari, aut magno quodam syptomate alias a pleuritide alieno. « Conjecturae probabilitas auge-« tur, ait Ill. Joseph. FRANKIUS 40), si morbus fe-« brem rheumaticam aut exanthematicam sociam « agnoscat, si ille ex impetigine praepostere fuga-« ta, ex ictu cordis regioni illato, originem trahat, « sique puerperam detineat.» *Inflammatio substantiae cordis*, seu, *Phlegmasia cordis* DANIELI 41), creditur, si pericardii inflammatio neglecta aut male curata fuerit, si sub curriculo morbi alii musculi vel et articuli affecti fuerint, si symptomata febris inflammatoriae praesto sint, si morbus ex nisu in ponderibus elevandis, portandis, ac vulneribus profunde in thoracem penetrntibus ortus sit, si ipsa

39) Nosol. method. Cl. III. 13. 4.
40) l. c. p. 145.
41) Systema aegritudinum. pag. 111.

cordis regio doleat, motusque abnormis in parte affecta ab aegro, aut ab aliis percipiatur; si angustiae et jactationes summopere urgeant; si sputa cruenta sint, si denique pulsus irregularis, oedema faciei et syncope crebra obveniant. *Inflammatio cordis cavitatum* vel *carditis polyposa* Kreysigii 42), in exsudationes maxime prona, intelligenda est, ubi pericarditidis symptomata summum jam fastigium attigerunt, ubi aeger antrorsum flexo corpore decumbit, aut sub summis angustiis in omnes partes agitatur, ubi maxima respirandi difficultas et diversarum cordis partium dolores adsunt; ubi sub cordis motu conspicuo, pulsus irregularis, formicans, intermittens observatur; vomitus autem, suffocationis periculum et lipothymia continuo saeviunt. Pro diverso tandem morbi ortu et extensione, pericarditis esse potest *primaria*, aut *secundaria*, et *simplex*, aut *complicata*. De secundaria pericarditide egregie egit Kreysigius 43). Simplex quidem illa rarior est; frequentior autem habetur pericarditis complicata aut cum rheumatismo acuto, quam morbi speciem aeger anno 1820 in Clinico praebuit, aut cum cynanche faucium ut Testa 44) et Kreysig 45) testantur, aut denique cum pulmonum inflammatione: a qua ultima facile eam distingues, si memineris, pectoris dolorem, spirandi difficultatem, tussin et sputa cruenta esse, et iam ab ini-

42) l. c. 2. Th. p. 132. sqq.
43) l. c. p. 151.
44) l. c. p. 237.
45) l. c. 1. Th. p. 369.

tio manifesta pneumoniae symptomata; contra vero carditidem indicari potissimum subitaneis lipothymiis, anxietate et peculiari faciei habitu.

Hunc autem in modum constituta pericarditis, morbus omnino gravissimus, at recte utique opinante CORVISARTIO 46), nisi vehementissimus sit, aut cum aliis, sive ipsius cordis, sive partium proximarum morbis complicatus, non semper pro lethali habendus, in genere antiphlogisticam medendi rationem requirit. Quam utique in Clinico nostro cum optatissimo semper exitu adhibitam fuisse et ipse vidi et Instituti acta diserte loquuntur. *Venaesectionis* itaque mature institutae, et pro mali vehementia, aliquoties etiam iteratae beneficio, repressa morbi vi, ad abigendas phlogoseos reliquias, illico *hirudines* majori numero inter ipsa costarum interstitia, aut, si aeger robustior videretur, *cucurbitulae* etiam *scarificatae* super sinistram pectoris partem, nonnunquam applicabantur. Usui autem interno inserviebat *nitratis* solutio in aqua simplici vel *rubi idaei* illa cum ejusdem syrupo, vel in decocto *tamarindorum* porrecta, et praesertim sub nimio corporis aestu atque frequentioribus sanguinis ad locum male adfectum congestionibus, *acida* etiam *mineralia*, inprimis *nitricum* illud multa aqua dilutum et edulcoratum, subjunctis interdum *clysteribus antiphlogisticis*. Vigente exacerbatione cruribus *synapismi* admovebantur. Neque etiam *pediluvia* acriora, potissimum in provectioris aetatis

46) l. c. p. 252.

hominibus, neglecta fuere. *Potus* demum erat aqua, syrupo vegetabili subacidulo mixta, modicae temperaturae, parvis ac repetitis haustibus sumenda. Praeter *jusculum avenaceum* alii cibi non requirebantur. Verum morbo in pejus ruente aut saltem protracto, quotiescunque ingens virium lapsus ulteriori sanguinis depletioni obstare videretur, semper adhibebatur infusum *foliorum digitalis purpureae*, quod etiam, ingruente pericardii hydrope purulento, urina pauca, oppressione pectoris sub motu vehementiore, sensu ponderis e regione cordis ad epigastrium usque et diaphragma extenso, motu cordis irregulari, pulsu parvo, celere et intermittente, faciei denique aut extremitatum inferiorum oedemate et somnolentia, interdum prodesse multorum experientia docet. Aliquando etiam exhibebatur simul et *calomel* praecipue autem alternatim cum decocto *stipitum solani dulcamarae.* Quibus factis, morboque penitus subacto, ad tollendum in praecordiis superstitem dolorem, *vesicatorium* quoque amplum sterno admotum, inprimis si pericarditis esset rheumatica, non semel contulisse creditur. In casu autem palpitationis cordis ab aucta plexus cardiaci sensibilitate profectae, aquam *laurocerasi* cum optimo effectu intus porrectam semel observavimus.

DE CORDIS DILATATIONE.

Cordis vitium, in ejus parietibus incrassatis aut nimium extenuatis positum, et cum palpitatione in praecordiis, arteriarum pulsu plus minusve ano-

malo; anxietate nec non animi quadam; sine febre tamen, deliquii specie saepius redeunte conjunctum, alii *cordis dilatationem*, alii *cordis anevrysma* vocant.

Hanc autem adfectionem, multorum observationibus freti, a variis causis proficisci posse statuimus. Quam enim diversis temporibus in Clinico nostro cordis dilatationem descriptam legimus, ea potissimum deprimentibus animi pathematibus successerat. Terrore etiam aut alia quadam ratione subito eam nonnunquam provocari, quum ex aegri anno 1816 a nobis lecta historia, tum e Rielii 47) dissertatione manifesto patet. Adde, quod morbus hic, auctore Lancisio 48), Ferriaro 49), Portalio 50), Corvisartio 51), Testa 52), Kreysigio 53) aliisque, nisum etiam violentum, febrem intermittentem, nimium mercurii usum et retropulsas quasdam impetigines interdum subsequi, hominesque crapulosos, syphilidi, scrofulae, scorbuto ac arthritidi obnoxios adgredi potest.

Sed quomodocunque malum hoc oriatur, initio quidem paucissima prodroma aut saltem horripilatio solummodo et calor febrilis ardens cum levi cordis

47) De cordis dilatatione. Vilnae 1819.

48) De motu cordis et anevrysmatibus. P. II. Cap. 5. p. 281.

49) Von der Dilatation des Herzens, in seinen neuen Bemerkungen über Wassersucht, Wahnsinn, a. d. Engl. Leipzig 1793. 8. Kap. p. 74.

50) Su gli anevrismi del cuore. Trad. dal Francese dal *Plac. Portal*. Napoli 1819.

51) l. c. p. 258.

52) l. c. p. 364.

53) l. c. 2. Th. p. 84 – 89.

palpitatione et respirationis difficultate conjunctus, illud comitantur. Serius autem comparent quae sequuntur: tanta cordis palpitatio ut oculis eam perspicere, manuumque palmis sinistrae pectoris parti admotis, alternam cordis atriorum et ventriculorum contractionem facile distinguere possis; in praecordiis summae oppressionis et ponderis sensus, interdum etiam ardoris totum pectus adimplentis ille; anxietas peculiaris et terribilis; respiratio laboriosa, brevis et sat frequens, interdum quoque, praecipue post cibos nimia copia sumptos aut post gressum et quemcunque nisum, cum majore pectoris oppressione et angore, quid? quod cum anhelitu etiam convulsivo conjuncta; tussis sat crebra, sicca; oculorum obnubilatio auriumque tinnitus; cita defatigatio; animus irritabilis; somnus expergefactione crebra turbatus; facies vel tumidula, vel rubra, vel per vices livida, vel pariter ac extremitates inferiores oedematosa; pulsus denique anomali, nunc fortes, pleni, nunc parvi, debiles et irregulares, interdum parum perceptibiles et creberrimi, ut vix numerari possint. Ad haec accedant etiam: decubitus resupinus vel in latus sinistrum inhibitus, superioris extremitatis sinistrae debilitas, rheumaticus extremitatum inferiorum dolor atque symptomata dyspeptica. Lipothymiae vero, si per vices accedentem debilitatem majorem, maxime sub acerbiore dyspnoea et cordis palpitatione, excipias, prorsus deerant. Nullae etiam haemorrhagiae, nulli suffocationis insultus, nullaque symptomata nervosa observabantur. Thorace ad Auenbruggeri methodum

percusso, praecordia obscure perpetuo resonabant. Admoto autem stethoscopio semel nobis audire contigit tantam cordis impulsionem, ut thoracem malleo majori percussum esse diceres, ne paucissimo quidem auricularum et ventriculorum sese contrahentium rumore obvio. In pluribus tamen aegris, qui Clinicum nostrum auxilii quaerendi causa adierant, rumor ille ab utriusque ventriculi, potissimum autem a sinistri illius, contractione oriundus, non solum in anteriore thoracis sinistri parte universa, sed etiam in posteriore, quin immo in epigastrio ipso et in hypochondrio sinistro facile audiri poterat, atriorum autem plausus non percipiebatur.

Malum hisce symptomatibus insignitum semper diuturnum esse solet. Quamobrem, qui morbo hoc tentati ad Clinicum se contulerunt, ii, elapso certo temporis spatio, levati potius quam plane ab eo recreati: necessario demittendi erant. Unum solummodo exstat exemplum puellae, quae organico cordis vitio vexata, et, sub vitae jam finem, hydropica supremum jam diem obierat. Cujus cadavere secto, cordis volumen normali illo propemodum quadruplo majus apparuit, longum pollices septem, latum pollices sex, tres autem cum dimidio pollices crassum, tamque capax, ut materiei libras sex facile continere posset: adde, quod ejusdem atria valde extenuata et extensa erant, ventriculorum autem parietes mirum quantum incrassati. Nonnunquam tamen invenitur cor in sua solummodo substantia incrassatum, cavitatibus ne minime quidem dilatatis: cujus rei

testes sunt; MATANI 54), BURNS 55), CORVISART 56) LAENNEC 57). Cor universum, i. e. ventriculos et utramque auriculam ampliores, et in substantia sua multo crassiores LANCISI 58), MORGAGNI 59), FORTANI 60), OGLE 61), CORVISART 62), TESTA 63), KREYSIG 64), et PORTAL 65) viderunt. Auctae capacitatis ventriculi sinistri cum substantiae muscularis incrassatione conjunctae casum a SWIETENIO 66) WALTERO 67), BAILLIEO 68), VOIGTELO 69) et CORVISARTIO 70) descriptum legimus. Auriculas adeo dilatatas, ut volumine suo ipsum cor adaequarent BALLONIUS 71) se vidisse refert. Interdum etiam accidit, ut cunctae cordis cavitates augeantur, parietibus earum simul extenuatis: quam tamen dilatationis speciem saepius cum variis aortae vitiis, ut:

54) De anevrysmaticis praecordiorum morbis. Francof. 1766.
55) l. c. p. 45.
56) l. c. p. 63.
57) l. c. p. 258.
58) l. c. obs. 414. p. 136.
59) Epist. LXIV. 5.
60) Rariores observationes medico-pract. Dec. 1. p. 75. Sen. 1769.
61) Memoirs of the medical Society of London vol. 1.
62) l. c. p. 70. obs. 12.
63) l. c. p. 366.
64) l. c. 3. Th. p. 84 — 89.
65) l. c. p. 17.
66) Comment. in *Boërhaavii* Aphor. T. I. p. 292.
67) In Mém. de l'acad. R. de Berlin 1785. Tab. IV. fig. 1.
68) Engraving Fasc. 1. Tab. 3.
69) Handbuch d. patholog. Anatomie 1. B. p. 387.
70) l. c. p. 74.
71) Epid. et Ephemer. lib. 6. p. 145.

cum angustatione, dilatatione et lithiasi conjunctam esse MORGAGNII 72), VERDRIESII 73) et ZWINGERI 74) observationes probant. Ventriculorum cordis dilatatorum cum eorumdem substantia extenuata, exempla quaedam CORVISART 75), CH. BELL 76), JAHN 77) et BERTIN 78) collegit. Dilatatam demum auriculam cordis dextram KERKRING 79), LIEUTAUD 80) et CHEMIN 81), similemque auriculae sinistrae conditionem LIEUTAUD 82) et CORVISART 83) observarunt.

Sed qui in Clinico nostro decubuere, eos cordis dilatatione non autem alio hujus organi vitio laborasse symptomata huic morbo propria diserte loquuntur. Ea autem morbi initio haec auctores admittunt: facies praeter consuetudinem rubens calensque; animus irritabilis, cita defatigatio, oculorum obnubilatio, motus cordis insolitus, pulsus durus, vibrans, aut debilis et irregularis; respiratio sub minimo motu anhela; tussis habitualis cum sputis veluti per suffocativos vomendi conatus rejectis, saepe cruentis; ciborum desiderium auctum;

72) Epist. XVIII. 2.
73) Miscell. N. Cur. Cent. vj. obs. 51.
74) Act. N. Cur. vol. 1. obs. 18.
75) l. c. p. 146.
76) Anatomie p. 193.
77) *Hufel* Journal d. pr. Heil. 23 B. III. Stück. 2. Fall.
78) l. c. p. 381.
79) Specil. Anat. obs. 16. p. 39.
80) O. C. Lib. II. Sect. II. obs. 405. a. 415. 601. 603. 605. p. 131. 137. 186.
81) in Journal de méd. 1700 Avril. T. 12.
82) l. c. obs. 606. p. 188. et obs. 407. p. 133.
83) l. c. p. 119.

ructus et membrorum dolor, rheumatico illi, persimilis. In provectiore autem morbo conspiciebantur genarum et labiorum livor, anxietas, corporis emaciatio; somnus expergefactionibus repentinis turbatus; cordis pulsatio multo latius patens, quae non solum sub manuum tactu percipi, sed etiam videri et audiri poterat; carotidum vibratio, venarum jugularium turgor, narium, pulmonum et ani haemorrhagiae; decubitus supinus denegatus; suffocationis insultus et lipothymia. In morbo tandem ultimum stadium attingente cuncta symptomata supra allata magis adhuc exasperabantur, subsequente oedemate et hydrothorace. Quoniam vero inter cordis dilatationem et alios ejusdem organi morbos, quaedam intercedit similitudo, operae pretium est nonnulla hoc loco subjungere, quibus diagnosis ejus certior reddi queat: morbi autem, quibuscum cordis dilatatio facile confunditur, sunt: *cordis inflammatio chronica, ejusdem* cum *pericardio concretio*, *ostiorum cordis angustatio* et *aortae anevrysma. Inflammatio cordis chronica* dignoscitur dolore obtuso aut nullo in thorace sinistro, acerbiore autem in epigastrio vel regione hypogastrica, pectoris oppressione majore et anxietate, cordis motu non multum manifesto sed vago et irregulari atque ut FERRIARUS 84) monet, rotatorio simul cum dyspnoea, pulsu exili, celere et inordinato, et morbi horis vespertinis exasperatione. *Concretio cordis cum pericardio* declaratur dyspnoea, motu cordis ob-

84) Cfr. Kreysig. o. c. 2. Th. p. 131.

scuro, excavatione hypochondrii sinistri sub quavis cordis systole, epigastrii pulsatione, decubitu flexo sinistrorsum corpore suffocationisque insultu creberrimo. *Ostiorum cordis angustationem* haec symptomata indicant: accessus periodici, repentina suffocatio, magna cordis pulsatio cum arteriarum ictibus saepe parvis, intermittentibus, minime cohaerens; in praecordiis sensus sibili vel murmuris, quale felis edere solet, tussis denique clangosa, haemorrhagia et lipothymia. *Anevrysma* autem *aortae* cognoscitur sensu pulsationis obscurae supra praecordia, alternis vicibus vehementiorem et convulsivum cordis motum subsequente, praesertim si regionem anteclavicularem digito comprimas; respiratione sonora et rhonchum edente; pulsu mutabili, dolore inter scapulas; tussi periodica et clangore, insigni denique dyspnoea per accessiones redeunte.

Verum tamen dilatationis cordis diagnosin hunc in modum institutam, plures nunc, non sine causa, mancam et imperfectam esse arbitrantur; nec enim eadem, nec eodem semper ordine symptomata in omnibus aegris comparere solent. Quae signorum diversitas et ordinis, quo se invicem excipiunt, inconstantia, non aliunde sane quam a diversa morbi natura et sede repetendae esse videntur. Ac re vera quoniam cordis dilatationem nunc in simplici cordis universi vel singularum ejus partium incrassatione aut extenuatione, nunc, idque saepius, in aucta simul cavitatum cordis capacitate et substantiae ejus incrassatione, positam esse diuturna experientia satis superque docent; sponte sequitur morbi,

de quo agimus; duas species jure meritoque a recentioribus medicis assignari. Quarum alteram, a substantiae cordis incrassatione, rarissime cum normali, saepius autem cum aucta cavitatum cordis capacitate, oriundam, *hypertrophiam cordis* nuncupamus; alteram vero, quae a parietum cordis extenuatione, cum aucto ejusdem sinuum ambitu conjuncta, proficiscitur, *cordis anevrysma* appellare placuit.

Hypertrophia simplex, judice Burnsio 85) et Laennecio 86), in crapulosis ex abusu liquorum fermentatorum et post animi pathemata oriunda, exhibet: pulsum frequentem et tensum, motum cordis irregularem, animi deliquia, angustias summas et dyspnoeam. Exploratis autem stethoscopii ope praecordiis, in thorace percipitur simplex cordis impulsio aucta, sono quodam peculiari carens, nullo etiam singularum cordis partium rumore obvio.

In *hypertrophia cum majore cordis cavitatum ambitu* conjuncta, quae sane species et frequentior est et universum organon detinere solet, aegri patiuntur pectoris oppressionem, anxietatem et respirationem difficilem, tussin et sputum cruentum, livorem et oedema faciei, cordis vehementem palpitationem auditu percipiendam, tactui visuique obviam, pulsationem epigastrii et hypochondrii dextri, pulsum fortem, plenum, frequentem et irregula-

85) l. c. p. 16.
86) l. c. §. 707.

rem, rarissime parvum; debilem, decubitum tandem resupinum inhibitum atque lipothymias. Stethoscopio ad explorandum thoracem adhibito, circa quintam et sextam sinistri lateris costam et in epigastrio, quid? quod in pectore aliquando universo auditur cordis impulsio aurem repellens, cum quodam in omni thoracis parte dextra et sinistra rumore conjuncta: qui tamen rumor tam lenis est, ut eum auditu distinguere nequeas.

Hypertrophiam sinistri ventriculi cum aucta ejusdem cavitate conjunctam, febres intermittentes, ingrata animi pathemata, vigilias et immodicos labores subsequi solitam, haec signa comitantur: tussis habitualis, pulsatio cordis non multum vehemens, nisi alia quaedam causa, ut, motus nimius et animi perturbatio accedant, anxietas vehemens, lipothymia conspicua, pulsus sat fortis, frequens, motui cordis respondens. Porro contractio ventriculi sinistri sub explorata regione quintae et sextae cartilaginis costarum, majorem offert impulsionem ferme in omni sinistra thoracis parte audiendam, rumorem autem surdiorem minoremque quam normali in statu; contractio vero auricularum brevissima, non sonora et vix sensibilis.

Hypertrophiam cordis dextri cum ejusdem cavitatis dilatatione conjunctam, qualem in aegro quodam robusto, plethorico, irascibili, ac sub irae accessu ad vitam sibi adimendam paratissimo CORVISARTIUS 87) observaverat, indicant potissimum:

87) l. c. p. 76. obs. 14.

cordis vel sub minimo motu palpitatio, facies tumida, rubra, respiratio valde difficilis, epistaxis et pneumonorrhagia crebra, pulsus fortis, plenus, vibrans et irregularis. Auscultatio vero, quam medici mediatam vocant, exhibet impulsionem cordis in regione epigastrica fortem simul cum rumore quodam exporrecto per thoracis partem dextram.

Hypertrophiam auricularum cordis cum *earundem dilatatione* communiter post gravissima animi pathemata comparentem, adesse declarant: spirandi difficultas, sensus suffocationis et sub gressu velociore cordis palpitatio, decubitus in latus sinistrum impeditus; pulsus inprimis in brachio dextro, contractus, parvus et frequens. *Stethoscopio* autem circa quintam et sextam lateris sinistri costarum cartilaginem aut circa processum xyphoideum admoto, percipitur rumor atriorum contractioni respondens; brevis, acutus, clarus, et valvularum in anthliis hydraulicis plausui similis; etiam impulsio quaedam, nullo tamen rumore longo et obtuso, qui cum systole ventriculorum fit, obvio.

Anevrysma, aut *dilatatio sincera cordis universi* signatur: pulsatione cordis late extensa, respiratione brevi, sonora, tussi frequente cum sputis cruentis, loquela difficili, pulsu debili, parvo, frequente et irregulari, vibratione carotidum earumque oedemate. Insuper stethoscopii ope thorace explorato audiuntur cordis sinuum contractiones clarae sonoraeque cum valido plausu auricularum sine ulla impulsione, non solum in regione quintae et sextae costae, sed etiam in ima sterni parte at-

que per omnem thoracem sinistrum, quin immo ad pectus dextrum, maxime super internum scapulae marginem et columnam vertebralem.

Simplicem ventriculi sinistri dilatationem comitatur saepissime: motus cordis debilis, extensus, frequens, respiratio sonora, brevis, intersecta, pulsus intermittens, tussis, stupor quidem aut superioris extremitatis sinistrae debilitas et anxietas. In hac autem adfectione rumor cordis, ventriculorum contractione productus, longior et clarior, cum obscuro atriorum respondentium plausu, evidentior percipitur in praecordiis et universo thorace sinistro, idem normalis est circa processum xyphoideum, nullus autem in pectore dextro.

Dilatationem ventriculi dextri cognoscimus signis, quae sequuntur: pulsatio cordis evidentissima in epigastrio, nulla vero aut saltem valde lenis in regione intercostali, crebra haemoptysis, dolor thoracis, dyspnoea per vices asthmatis speciem referens, sensus suffocationis frequens, pulsus frequens, mollis, passim irregularis, vultus lividior fere violaceus, turgescentia venarum jugularium et infiltratio telae cellulosae. In hac dilatationis specie, si stethoscopium admoveas, rumor cordis contractione excitatus, insignior in regione processus xyphoidei, ac in pectore universo dextro, impulsio minor quam in statu normali, intermittentiae nec non irregularitates in vi atque rhythmo cordis pulsuum observandae longe frequentiores percipiuntur.

Dilatatio atrii cordis sinistri, auctore Corvi-

SARTIO 88), exhibet oculorum obnubilationem, dyspnoeam, quamdam cordis palpitationem, faciem lividam pulsumque irregularem, et, observante LAENNECIO 89), signa quaedam valvularum mytralium ossificationem indicantia. Sub stethoscopio autem, praeter normalem a cordis ipsius systole excitatum rumorem, obscurus quidam, in regione sterni superiore et subclaviculari sinistra, auricularium contractionum sensus, repentinae potius perflationi quam valvularum plausui similis.

Dilatationem deinde *atrii dextri* sat frequentem, comitatur saepissime: labiorum livor, thoracis dolor, tumultus et palpitatio circa cor, respiratio difficilis, tussis aliquando cum sputatione cruenta, decubitus in latus sinistrum denegatus, pulsus ceterum normalis. Sub examine stethoscopii ope instituto, eadem, quae in dilatatione atrii sinistri adesse memoravimus, signa comparent, hoc solum discrimine, quod obscurus ille contractionum auricularium sensus, in hac affectionis specie potius circa processum xyphoideum et in thorace dextro percipiatur.

Praeter has species dilatationis, nonnunquam etiam unius ventriculi hypertrophiam cum alterius dilatatione complicari, multis observationibus probavit LAENNECIUS 90). Has autem complicationes Cl. viri opinione freti, eas esse putamus: a) hypertrophia dilatationi juncta in cordis ventriculo sinistro,

88) l. c. p. 119. obs. 24.
89) l. c. §. 709.
90) O. c. §. 734.

complicata cum simplici cordis dextri parietum extenuatione: b) hypertrophia cum dilatatione ventriculi sinistri, incedens cum simplici parietum ventriculi dextri incrassatione; c) hypertrophia ventriculi cordis dextri dilatati, conjuncta cum simplici parietum sinus sinistri extenuatione; d), hypertrophia simplex dextri ventriculi, complicata cum simplici ventriculi sinistri dilatatione. Sed si peculiaria harum hypertrophiae varietatum signa quaerere velis, meminisse oportet, in iis, quae ab aegris referantur, non esse acquiescendum; ea vero signa esse certiora, quae ipse per se investigaveris, eorum nempe, quae sub stethoscopio in regione quintae et septimae costae sinistrae, et quae circa imam sterni partem percipiuntur, instituta comparatione.

In genere cordis dilatatio morbum longioris decursus constituit, nec semper ut recte monet SENACIUS 91) longaevitati obstat. Quamvis autem sub congrua cura, vim ejus frangi et imminui posse confidamus; fieri tamen interdum fatendum est, ut ea evadat lethalis: id quod anno proxime elapso in duobus aegris apoplexia e medio sublatis ipsi observavimus. Aegra anno 1816 in Clinico decumbens, hydropica periit. KREYSIGIUS 92) plures aegros morbo hoc tentatos, orta cordis paralysi, subito decessisse refert. BURNS 93) et FERRIAR 94) peri-

91) l. c. Livr. IV. Chap. 8. p. 11.
92) l. c. 2. Th. p. 288.
93) l. c. p. 66.
94) l. c. p. 102.

carditidem accessoriam, in cordis dilatati crebram arguatam lethiferamque observarunt. Ad avertendum autem funestum morbi hujus gravissimi exitum, aegri in Clinico nostro *venaesectionibus parcis* 95) iisque saepius iteratis curabantur. Sanguinis circa cor congestio minuebatur applicitis ad praecordia *hirudinibus* vel admotis *cucurbitulis scarificatis* nec non *eccoproticis* et *derivantibus*, praesertim *setaceis* et *fonticulis*. Praesentibus signis hydropis exhibebantur aliquando *diuretica*, maxime *digitalis purpurea*; quod ultimum pharmacum, cordis etiam et systematis arteriosi tumultum compescere valebat. Cum eodem effectu adhibebantur interdum, nisi tussis obstaret, *nitrum*, *acida mineralia* et haustus aquae frigidae, quin immo *glacies* condita et *embrocatio*, sit venia verbo, super pectus. *Saturni saccharo* utendi copiam non habuimus. In quacunque autem cordis dilatatione, maximi momenti auxilium in congruo *regimine diaetetico* positum erat.

DE CONCRETIONE CORDIS CUM PERICARDIO.

Vitium cordis organicum, praevia visceris hujus inflammatione, eaque saepissime occulta, ortum, dolore circa epigastrium et hypochondrium sinistrum obtuso, sensu tensionis hisce in partibus incommodo, cordis motu inaequali, tremulo, saepe so-

95) Ad methodum *Valsalvae* (cfr. *Bertin* l. c. p. 367.) et illam *Albertini* de affectionibus cordis 1618.

noro, aliquando etiam hypochondrii sinistri depressione et sublatione, nec non pulsu arteriarum debili pulsationi cordis haud respondente, conjunctum, et sine turba febrili occurrens, cordis cum pericardio concretionem constituit.

Morbus hic in Clinico nostro observatus, primum anno 1818 in adolescente, sine ullo ferme levamine, post curam protractam, demisso; deinde vero anno 1821 in puero quindecem annorum post amputationem in Clinico Instituto Chirurgico peractam, in infirmario domus beneficentiae Vilnensis demortuo, symptomata sequentia exhibuit: dyspnoeam aliquam, nunquam tamen vehementissimam; pectoris pondus, oppressionem, distentionem et constrictionem, praecipue ad ipsa praecordia; pulsationem in thoracis sinistri parte infima et in regione epigastrica, cum vehemente et molesta tractione in hypochondrio sinistro conjunctam, potissimum post cibos nimia copia sumptos, aut post motum et sermocinationem longiorem; cordis motum tremulum, debilem, cuidam sibilo socium, modo per vices violentiorem, cum pectoris sinistrae partis concussione vehemente, ab adstantibus facile observanda; pulsum frequentem, celerem, parvum, contractum, saepe irregularem vel intermittentem; anxietatem conspicuam, maxime per accessiones, debilitate ingente socia, redeuntem: peculiarem animi dejectionem; loquelam prae multa in pectore oppressione saepe interruptam; erubescentiam frequentem, faciem tumidulam, pallidam, crebrius lividam, decubitum resupinum, flexo sinistrorsum corpore; extremorum

denique frigus marmoreum, eorumque ad articulos aquosam inflationem. Praeter haec symptomata in cordis cum pericardio concretione, MECKEL 96) observavit in hypochondrio sinistro sub costis ipsis excavationem cum cordis motu cohaerentem. KREYSIG 97) frequentem in hoc morbo molestae in epigastrio tractionis sensum ad umbilicum usque exporrectum testatur. SENAC 98) et PORTAL 99) crebram et genuinam in hac adfectione lipothymiam multoties viderunt. LOWER 100) et FERRIAR 1) describunt plures concretionis cordis cum pericardio casus, ubi aegri ob summam orthopnoeam incurvatum corporis situm servare coacti erant. Homines denique morbo hoc laborantes ad mortem sibi consciscendam paratissimos esse, multorum observationes 2) docent.

Ceterum quam cordis cum pericardio concretionem ante plures annos in aegro quodam, praegressa pericarditide occulta, ortam, in Clinico Vilnensi observaverant; eam a causa rheumatica ex metastasi profectam esse legimus. Eamdem infaustum habuisse exitum nonnisi semel observare contigit. Ex autopsia autem cadaveris reapse patuit, cor volumine quidem normali, sed, substantiae spissae et

96) l. c. p. 56 — 85. *Corvisart* l. c. p. 34.
97) l. c. 2. Th. p. 629.
98) l. c. Liv. VI. Chap. 11.
99) Anatomie médicale. T. V. p. 25.
100) De corde Cap. II.
1) Neue Bemerkungen S. 67. 1. Fall.
2) *Kreysig* l. c. 2. Th. p. 625. *Corvisart* p. 41.

albicantis ope, pericardio adeo adcretum, ut alterum ab altero nullo modo divelli posset. Similem adcretionem alii quoque, praecipue HEISTER 3), BANG 4), SENAC 5), SELLE 6), WESZPREMI 7), CORVISART 8) observarunt. Frequentior habetur concretio pericardii cum corde partialis c. c. ad unius digiti transversi longitudinem et latitudinem 9), cum cordis ventriculo dextro 10), vel sinistro 11), vel denique cum cordis apice 12). Eam vero semper aut textura retiformi 13), aut filamentis laxioribus 14), aut denique ligamentis, iisque nunc simplicibus 15), nunc autem veluti corneis 16), constare se vidisse auctores referunt.

Jam vero in utroque casu, concretionis cordis cum pericardio diagnosin omnino perquam difficilem esse, gravissimi etiam de morbo cordis scripto-

3) Medic. Chir. Wahrnehmungen 2. B. p. 136.
4) Acta Reg. Soc. Havniens: Vol. II. p. 77. Vol. II. p. 135.
5) O. c. p. 338.
6) Beyträge zur Natur. und Arzeney-wissensschaft H. Th. p. 26 12. Fall.
7) Observationes medicae. Trajecti 1756.
8) O. c. p. 30.
9) *Morgagni* Epi. XXV. 15. Ep. LIII. 29. LVI. 12. LXII. 5.
10) Miscelan. N. Curior. Dec. III. A. 5 — 6. obs. 207.
11) *Fränkische* Sammlung IV. B. p. 248.
12) *Haller* de corporis humani fabrica. Libr. IV. Sect. 1. §. 22.
13) *Morgagni* ep. XXXV. *Voigtel* Handbuch d. Path. Anat. T. II. p. 317.
14) Misc. N. Cur. Dec. III. A. 2. obs. 78.
15) *Valsalva* apud *Voigtel* l. c. p. 216.
16) *Senac*. l. c.

res ut: Kreysig 17), Corvisart 18), Burns 19) et Sander 20) uno ore confitentur. Illud tamen negotium praecipientibus iisdem auctoribus multo fit facilius, si in praecipua morbi hujus symptomata diligentius inquiramus. Haec itaque vel maxime considerentur oportet: epigastrii et hypochondrii sinistri dolor; incommodus hisce in partibus tensionis sensus; cordis motus inaequalis, tremulus, saepe sonorus, interdum cum hypochondrii sinistri depressione et sublatione conjunctus, pulsus etiam arteriarum debilis, pulsationi cordis haud respondens: ad ipsum denique sanguinis circuitum respiciendum est, quem in hoc morbo difficiliorem esse quam in cordis dilatatione, quum anxietas summa et frequens faciei erubescentia aut livor, tum strangulationis indicia saepe comparentia, probant luculenter.

Quod ad morbi hujus curam spectat, ea sane, sub hoc rerum statu, ubi universa cordis cum pericardio concretio adesse videretur, manentibus adhuc vel minimis phlogoseos indiciis, in methodo *antiphlogistica* consistebat. Serius demum *fonticulus* pectori sinistro admotus erat. Alvo solvendae adhibebantur *salia neutra*, subjuncto *digitalis purpureae* infuso ad urinae secretionem promovendam. Ad excitandam autem systematis lymphatici vim, inungebatur etiam pectus *unguento*

17) l. c. 1. Th. p. 281. 2. Th. p. 616.
18) l. c. p. 30.
19) l. c. p. 301.
20) *Husel.* Journal d. pr. Heilkunde. 1820. November. p. 19.

mercuriali. Victus erat digestionis facillimae, modice nutriens. *Potus* acidus et refrigerans.

DE ANGORE PECTORIS.

Angor seu *angina pectoris*, morbus est chronicus, paroxysmis et intervallis plus minusve liberis stipatus, quorum illi maxima anxietate, dolore a sterno ad dorsum, ad latera colli et ad brachium plerumque sinistrum extenso; haec vero impotentia gressus adversus ventum instituendi insigniuntur.

Morbum hunc in Clinico Vilnensi semel in femina, bis autem in maribus, pariter ac illa quadraginta jam, et quod excurrit, annos natis, observatum fuisse legimus. Femina quidem anno 1811 primum tentata est pectoris angore, quum superiorem preli, quo lintea laevigantur, partem lapidibus magnis oneratam adtollere conaretur. Marium alter anno 1810, febre catarrhali nondum plene recreatus, sub insolito velocissimoque motu, primum hujus morbi paroxysmum expertus esse dicitur. Alter vero, quem ipse etiam tractavi, multos jam graviores morbos perpessus, anno 1827, post nimium brachiorum motum ac nisum violentiorem primam angoris accessionem nactus est. Crüwell 21) et Blackal 22) morbum hunc, vi quadam pectori

21) Diss. de cordis et vasorum osteogenesi Halae 1775.

22) Observations on the nature and cure of dropsies, to which is added an appendix containing several case of angina pectoris, with dissections. Lond. 1813.

illata, ortum fuisse observarunt. CORVISART 23) et *Jos.* FRANK 24) multo liquorum fermentatorum usu, et animi pathemate violento, pectoris anginam excitatam se vidisse referunt. Tandem aliquando arthritide anomala provocari posse SCHAEFFER 25); MACQUEEN 26), HESSE 27) et KREYSIG 28) adnotarunt. Nonnumquam ex vitio rhachitico oriri pectoris angorem TESTA 29) monet. Varia denique hepatis vitia, multum auctam sensibilitatem, inter anginae causas, referri debere, auctores sunt, BRERA 30) et JURINE 31).

Quem pectoris angorem in dies crebrius redeuntem, haec symptomata comitabantur: faciei livor et brachiorum sudor frigidus, pulsus vulgo parum frequens, irregularis, aliquando exilis, tremulus, nunc vibrans et morientium illi similis; carotidum vibratio; collum pariter ac in parturientibus inflatum; respiratio difficilis, opressa; dolor primum obtusus dein lancinans, ab inferiore inde sterni parte, vel a regione epigastrica, per mammam sinistram usque ad ejusdem lateris brachium et antibrachium, ad ma-

23) l. c. p. 160.
24) O. c. p. 230.
25) Diss. de angina pectoris vulgo sic dicta. Goetingae 1781.
26) Abhandlung f. pr. Aerzte. 10. B. p. 145.
27) Specimen de angore pectoris. Halae 1800.
28) O. c. 2. Th. p. 512.
29) O. c. p. 52.
30) Della stenocardia, mallatia volgarmente conosciuta sotto il nome di Angina pectoris. 1810. Verona.
31) Mémoire sur l' angine de poitrine, qui a remporté le prix au concours ouvert sur ce sujet par la societé de méd. de Paris. 1815.

nuum palmas digitosque sese extendens; decubitus nonnisi thorace antrorsum flexo admotisque regioni epigastricae manibus, aut corpore supine extenso, concessus, vel etiam prorsus denegatus, adeo ut aeger statuae instar sedere aut stare debeat; deglutitio deleta; ad oesophagum denique constrictionis et suffocationis sensus, et animi deliquia.

Hic autem paroxysmus interdum aliquot solummodo horae momenta, saepissime horam dimidiam vel integram, nonnunquam etiam totam diem durabat. In genere longiores insultus erant in morbo provectiore, breviores autem in recente illo, et nunc subito comparebant, nunc praevia inquietudine vix verbis designanda, pandiculatione, oculorum obnubilatione et vertigine. Redibant autem paroxysmi minima data occasione, maxime sub deambulatione ventu adversus flante, sub ascensu scalarum, sub sermocinatione longiore, sub tussi, sub ira, inter comedendum, aut venandum, aequitandum, etiam corporis situ mutato. Vergente versus finem paroxysmo suspiria, gemitus et flatuum eructatio in conspectum veniunt, aut tussicula cum sputo puriformi. Eo autem terminato per nonnulla horae momenta, adhuc frigebant extremitates atque livebant antibrachia. Quod ad liberum morbi intervallum spectat; hoc accedente aut de nihili conquaerebantur aegrotantes, si excipias sensum amissae valetudinis verbis haud designandum, impotentiamque gressus adversus ventum faciendi, aut, quod ipsi observavimus, patiebantur dolorem circa cor, formicationem digitorum et debilitatem, manente

arteriarum pulsu irregulari quidem, sed, quoad frequentiam, normali, oedema nullibi, urina et alvus normales. Thorax ad AUENBRUGGERI methodum digitis percussus, resonabat ut in homine sano. Admoto ei tamen stethoscopio invenimus motum cordis quoad rhythmum irregularem, cum peculiari quodam rumore, ut durum aliquod corpus serra scindi diceris.

Decursus angoris pectoris longissimus semper habetur, quos autem e morbo hoc decessisse accepimus, (nobis enim ipsis nondum eam rem observare contigit), ii subito et inopinate, nunc sub libero intervallo, ut PARRY 32), FOTHERGILL 33), WICHMANN 34), JAHN 35), WOLF 36) et KREYSIG 37) testantur; nunc, auctore MORGAGNIO 38) et FOTHERGILLIO 39) sub ipso paroxysmo e medio sublati sunt. Tabe etiam lenta consumi aegrotantes WALDONIUS 40) et SCHENK 41) adnotarunt. Sectis autem cadaveribus inventa erant diversa vitia, ut: ossificatio arteriarum cordis coronariarum a

32) An inquiry into the symptoms and causes of the Syncope Anginosa commonly called angina pectoris illustrated by dissections. Bath. 1799.

33) Lond. medical observations and Inquiry vol. v.

34) Ideen zur Diagnostik II. B. S. 129.

35) *Hufel.* Journal 23. B. III Stück p. 137.

36) ibidem 18. B. I. Stück p. 15.

37) l. c. 2. Th. p. 658.

38) Epist. XXVI. 31.

39) Auserlesene Abhandlungen III. B. p. 188.

40) Ibidem XXIV. B. p. 435.

41) *Hufel.* Journal. 20. B. III. Stück p. 103.

Fothergillio 42), Parryo 43), Zecchinellio 44), Wichmannio 45), principii aortae et valvularum semilunarium a Wallio 46); valvularum mytralium, carotidis internae et arteriae basilaris a Fothergillio 47), ipsius tandem cordis a Heberdenio 48), cordis inflammatio ac suppuratio a Johnstonio 49), copiosus adeps super pericardium a Wallio 50) et Fothergillio 51); sanguis in pericardio a Houpero 52), dilatatio cordis cum hepatis induratione a Brera 53), concretio pulmonis sinistri cum pleura a Heberdenio 54), stomachus denique induratus a Percivallio 55); inventa sunt. In nonnullis tamen cadaveribus, referentibus Beddöesio 56), Jurinio 57) et Despertesio 58), nihil prorsus aderat, quod morbum hunc testaretur; in aliis autem, aucto-

42) Cfr. Auserl. Abhandl. l. c. p. 192.
43) l. c. p. 3.
44) Sulla angina dell petto Padova 1814.
45) l. c. p. 163.
46) Die arzeneik. Abhandl. v. Lond. III. B. p. 10.
47) Die auserl. Abh. l. c. p. 202.
48) Med. Transact. publ. by the coll. of physic. in London V. II. p. 59.
49) Memoirs of the med. soc. in London Vol. I. p. 19 — 21.
50) l. c. p. 10.
51) Auserl. Abh. l. c. p. 188.
52) Arzeneik. Abhandl. III. Th. p. 9.
53) Giornale di medicina pratica 1814. p. 1 — 26.
54) l. c. p. 60.
55) Edimb. comment. III. B. p. 191.
56) *Chrzczonowicz* Diss. de Angina pectoris. Vilnae 1812. p. 12.
57) l. c. p. 45.
58) Traité de l'angine de poitrine. Paris 1816.

re WICHMANNIO 59) omnia hucusque relata vitia detecta sunt, licet aegri, dum in vivis erant, nulla prorsus symptomata pectoris angorem indicantia exhibuissent.

Ut pectoris angorem, a plexus cardiaci adfectione, nunc primitiva nunc secundaria (quae ultima ex arteriarum coronariarum ossificatione, cordis nutritionem impediente, aut, per consensum, ex variis partium cordi proximarum morbis oritur), utique repetendum, penitus cognoscamus; diligentissime eum ab aliis morbis, quibuscum ei magna intercedit similitudo, distingui oportet. Facile autem morbus hic confundi potest cum *chronica cordis inflammatione*, *cum ostiorum cordis angustatione*, cum *cordis* denique *polypo* et *asthmate periodico*. Verum *chronica cordis inflammatio*, continuo thoracis sinistri dolore obtuso; pectoris oppressione et anxietate, non magna quidem sed perpetua; cordis motu parum sane manifesto, sed vago et irregulari; morbi symptomatum denique horis vespertinis exasperatione. *Ostiorum cordis angustationem* haec symptomata indicant: plurimis vitiorum cordis organicorum indiciis constanter manentibus; accessus periodici, repentina suffocatio, magna cordis pulsatio cum arteriarum ictibus, saepe parvis et intermittentibus, minime cohaerens; in praecordiis sensus sibili vel murmuris, quale a felibus edi solet; tussis denique, haemorrhagia et li-

59) l. c. p. 163.

pothymia — *Polypum* comitantur: morbi, saltem inter ejus exordia, continuitas; dolores vagi, magnae suffocationis sensus et symptomata laesum pulmonum officium indicantia. *Asthmatis vero periodici* haec signa habentur: paroxysmus, cum inspiratione admodum laboriosa et sibila conjunctus, noctu utplurimum exoritur, quo urgente aeger erectam positionem servans aërem liberum quaerit, fere semper mentis compos est, motus voluntarios exercere potest, et nullum usquam experitur dolorem. In genere pro varia morbi causa proxima, angor pectoris, quoad symptomata, nunquam sibi similis tripartito dividi potest, id est: in angorem, a) *e sincera nervorum cordis adfectione;* b) e *spasmodica cordis adfectione, arteriarum coronariarum ossificationem subsecuta;* c) e *cordis* denique *adfectione spasmodica, ab organorum abdominis vitio* repetenda. Prima angoris species, eaque rarissima, dignoscitur paroxysmo non multum evoluto et symptomatum spasmodicorum praesentia in libero etiam intervallo. Secunda ejus species distinguitur: praeter symptomata paroxysmi exquisitissima, morbi diuturnitate, peculiari aegrorum habitu, pulsu irregulari vel citra paroxysmum obvio, summa denique adversus ventum eundi difficultate. Ultima deinde species exhibet sequentia signa: respirationem difficilem, aliquando inhibitam cum pulsu cordis velociore et manifesto, tussiculam suffocativam sub paroxysmo, symptomataque obstructionis viscerun abdominalium in libero intervallo.

Licet plurimi iique gravissimi auctores, refragan-

te quidem JURINIO 60), morbum hunc nullo pacto debellari posse existiment; nos tamen, temporarium saltem aegris levamen allatturi, sequentia in usum ducere haud dubitavimus: I. Sanguinis ad cor congestionem impediendam curavimus instituta *venae sectione* parca 61), eaque nonnunquam iterata, aut applicitis *hirudinibus* vel *cucurbitulis* scarificantibus. Quinctiam ad regionem cordi respondentem, *fonticuli* exurendi semel nobis occasio adfuit. Deinde *nutrimenta* concoctu facillima; pro *sorbitione* vero aut aquam frigidam saccharatam, aut decoctum mucilaginosum, aut pro re nata, *purgantia salina* vel etiam leviora *carminativa* — II. Instanti cordis hydropi, sub hac rerum conditione evolvi solito, obviam ituri, *diuretica*, inprimis vero *digitalem purpuream* et similia usurpavimus. III. Ad excitandam nervorum cordis et ventriculi energiam, nonnulli commendant varia pharmaca sic dicta cardiaca et nervina, ut: *assam-foetidam* 62), *moschum* 63), *camphoram* 64), *radicem valerianae officinalis* 65), *aetherem sulfuricum, tincturam castorei, opium* 66), nec non *aquam lauro-cerasi* vel *amygdalarum*

60) l. c. p. 108.
61) Juxta monita *Parry* (l. c. p. 154), *Burns* (l. c. p. 108). *Odieri* (Bibl. Britannique Vol. 23. p. 50.) aliorumque.
62) *Johnstone* l. c. p. 580.
63) *Elsner* Abhandl: über die Brustbräune. Königsberg. 1778. c. p. 83.
64) *Schaeffer* l. c.
65) *Jurine* l. c. p. 142.
66) Acta Instituti Clinici Vilnensis. a. 4. 5. 6. p. 77.

amararum. 67). Proposita quoque erant stomachica sequentia: decoctum et extractum *gentianae luteae*, *menianthes trifoliatae*, *quassiae amarae* et *columbo.* Ad minuendam autem ventriculi sensibilitatem, oxyda metallica, v. c. *Zinci* 68), aut *cuprum ammoniacale* 69) *cinnabarum* 70), multum conferre dicuntur — *Acidum* etiam *phosphoricum* BAUMES 71), *aquam calcis* SMITH 72) et *gaz oxygenium* JURINE 73) et REID 74) in hoc morbo vel maxime laudant.

67) Journal general de méd. T. 43. Janv. 1812. p. 31.
68) *Jurine* l. c. p. 142.
69) Idem ibidem.
70) *Fothergill* l. c. p. 343.
71) Annales de la societé de méd. pratique de Montp. T. 12.
72) Med. comment p. 99.
73) l. c. p. 143.
74) Trans. of the associat. of Physicians in Ireland. Dublin. 1817. Vol. 1.

THESES.

I.

Angor pectoris morbus est quidem sui generis, variae tamen indolis.

II.

Morbosa cordis Symptomata non semper a morboso statu ejus repetenda sunt.

III.

Ulcera syphilitica a plicosis in membranis mucosis aegerrime distinguuntur.

IV.

In partu etiam naturali sed supra modum protracto, forcipem obstetriciam adhibendam esse contendimus.

V.

In quibusdam partus casibus synchondrotomia commendari debet.

VI.


Naturae morbi, ignota ejus sede, nulla cognitio.

VII.

Symptomatum divisionem in symptomata morbi, symptomatum et causae, nec non in symptomata accidentalia e pathologicis prorsus reiiciendam esse putamus.

VIII.

Obductio in cadavere putrido non est praetermittenda.



Dyssertacye
Medyczne
Akademii Wileńskiey